SEX. AURELII PROPERTII

CARMINA.

AD

FIDEM OPTIMORUM CODICUM RECENSUIT,
INTEGRAM GRONINGANI, NEAPOLITANI,
EXCERPTORUM PUCCII VARIETATEM
LECTIONIS BREVEMQUE ADNOTATIONEM

ADIECIT

FRIDERICUS IACOB.

LONDINI
TREUTTEL & WÜRTZ, TREUTTEL IUN. & RICHTER
MDCCCXXVII.

CAROLO LACHMANNO

PROPERTIANAE INTEGRITATIS
INDAGATORI SAGACISSIMO

HUIUS OPERIS

LIBERALISSIMO ADIUTORI.

PRAEFATIO.

Si cui alii poëtae id accidit, ut per interpretum etiam summorum acumen et eruditionem plus saepe detrimenti caperet, quam nancisceretur auxilii, in eorum profecto numero suum profitetur nomen Propertius. Quum enim propter multas exemplaribus Graecis haud dubie acrius inhaerescentes dicendi rationes magis quam quisquam novus, et propter laxiores rerum diversarum in unum poëma complexiones, tum propter ingenium ad versus faciendos minus agile durior sit, magis quam ullus poëta Romanus in variam coniectandi aleam eliciebat. Alii igitur omnia transversum egerunt, ut sententiarum quidem iusto consulerent ordini, qui ante ipsorum industriam et melior erat et verior; alii obtrudendis suis elegantiis ita a vero Propertii consilio et ingenio cuncta detorserunt, ut, si, quae illi dederint, cum eo, quod hic leges, sis comparaturus, alium haud raro te poëtam tractare manibus censeas.

Ac primus quidem et unus, qui, qua via eundum esset, demonstravit, CAROLUS LACHMANNUS fuit. Huius enim ingeniosissimi viri diligentiae primum id debet Propertius, ut, quibus libris fides habenda esset, quibus non, expositum sit praeclare, deinde, ut, quam longe priorum quorundam commentatorum fugienda interpolandi libido esset, exemplo simus admoniti; ut verbo dicam, una LACHMANNI recensio est, qua, qui Propertium legere ipsum vellet, uti ad hunc diem poterat. In qua laude ne ab iniquis aesti-

matoribus forte carpiar, quasi amicissimi viri haud paucas carminibus illatas coniecturas mentitus sileam, factum id quidem, neque in omnibus recte, ipso LACHMANNO, nisi fallor, aperte professuro, concedam; ut tamen simul aliud esse moneam, ludere verbis et vaga quadam novandi libidine hariolari, aliud ex linguae et poëtae ingenio petitis pugnare rationibus. Itaque in librorum indolis indagatione et descriptione tanto acumine versatus est, ut ex Puccii, Neapolitani, Groningani nunc primum plene editis copiis vix umquam eum errasse patefactum sit.

Illud tamen mirari satis non possum, quod post LACHMANNI quoque egregiam operam inventi sunt, qui feliciter monstratam fortiterque munitam viam inire noluerint. Verum quo id eventu fecerint, incerti in rebus certis iudicii perpetua fluctuatio aperuit.

Abieci igitur, ut in re nunc quidem extra omnem dubitationem posita eorum omnium codicum lectionem, qui, ut interdum ex antiquissimorum librorum penu ditati, ita plerumque et PONTANI et aliorum coniecturis conflati et consarcinati sunt. Non quo illi quidem ab omni prorsus subsidio sint destituti, quum antiqui VENETI, CREMONENSIS, PISANI *), PICI, VBALDINI, aliorum opibus instructi fuerint, sed quia tam incerta crebris interpolationibus auctoritas est, ut aut omnem reiicere crisin, aut bona pauca cum plurimis suppositiciis contemnere plerumque, licet inviti faciamus, tamen simus coacti. Contra ex MENTELIANO, VOSSIANIS, GVARNERIANO, PALATINIS scriptiones, ubi res ita ferebat, commodas apposui. Quamquam in plerisque omnibus nostri codices rem uni conficiunt.

Propono igitur mea conditione uti volentibus Propertii carmina ad tres optimos codices GRONINGANVM, NEA-

*) Pisanus fortasse idem est, qui Puccii; confer Huschke Anal. litterar. pag. 353, ubi haec legitur subscriptio de Catullo: BERNARDINVS PISANVS haec adnotabat — secutus fidem probatissimi, qui fuit Francisci Puccii.

POLITANVM, PVCCIANVM fidelissime expressa. Sicubi vero errores certissimi vel per certissimas virorum doctorum inventiones, vel per aliorum codicum meliores lectiones e carminum tenore omni modo propellendi fuerunt, veluti si I, 1, 9 *Minalion* libri omnes exhibent, vel II, 1, 5 *cogis*, vel III, 1, 22 *Ardidus*; ipsa haec codicum perversa lectio in fine eius paginae, ubi id erat faciendum, italicis litteris expressa legitur. Neque vero id saepe factum reperies, sed ubi vel versui erat succurrendum labanti, uti III, 33, 39, vel si nominum propriorum inanis scriptio erat, vel si omnino omnis carminis sensus praeterea periisset. Quamquam huius ultimae quidem rei et ratio et fines satis incerti sunt. Saepius igitur, utcunque vel interpretum correctio vel etiam scriptorum librorum alia lectio verior videbatur, supposita tamen ea carminibus, non recepta est; neque ulla haec quidem vel libri vel nominis auctoritate munita, ut libero posset et incorrupto iudicio in suffragia iri per eruditos lectores.

In calce autem operis et ipsa haec nomina et plenissimam illorum codicum varietatem lectionis, unde haec nova fluxit recensio, invenies. Namque ne minimas quidem et apertissimas aberrationes reticendas statui. Si quidem imprimis utile futuris criticis esse sentio, exempla quaedam absolutissima habere codicum bonorum, ex quibus, quam eorum, qui unum aliquem librum egregium unice sequendum, reliquos tanquam in levibus quibusdam ponendos auxiliis in unoquoque scriptore suadeant, lubrica et etiam perniciosa sit regula, intelligant. Deinde vero, quum ipsos codices scriptos pervolvere multos paucis in nostris oris contingat, et tamen munire et frequentioribus et rarioribus librariorum erroribus memoriam plurimi esse fructus videri debeat, gratiam me initurum eorum putabam hac accuratione, qui subtiliorem harum rerum cognitionem parandam didicerunt. Neque enim quidam non sane considerati homines audiendi sunt, qui ea esse haec nostra tempora clamant, quibus propulsanda aliquando laboriosa ista operosorum hominum industria sit, quae in corradendo sae-

culorum rudium sibi pulvisculo placeat. Ea potius est ineunda ratio, ut, quos quidem pravos plane libros cognoverimus, eos seponamus, bonos contra etiam cum ipso isto pulvisculo excutiamus. Atque de laboriositatis quidem nota sciant, illis, qui ingeniose quamcunque rem tractent, nutriri ingenium omnibus, qui sit hebetis obesique animi, ei ipsam videri naturam mortuam, nisi quae ventriculos expleat.

Ex eadem fideli codicum observatione illud etiam natum est, quod fortasse quidam appellabunt vitium, quod in verborum scriptione parum mihi constiti. Verum tamen ingerere velle in antiquos scriptores eam constantiam, quam illos ipsos neglexisse in aliis scimus, in aliis concludimus, arbitraria nimis et invidiosa res videbatur. Qua propter, quantum id quidem fieri poterat, et quantum et rei et librorum ratio patiebatur, (neque enim *harenam*, quum semel omnes tres libri praeberent, volebam recipere) inconstans cum antiquis esse malui, quam vel errare vel novare cum nostris. De accusativo autem in *is*, quamquam plerisque locis eum codices nostri in *es* formatum exhibent, atque ego quidem ita eos scribentes fideliter sum secutus, vix tamen esse dubitandum moneo, quin has formas in *es*, si non ubique, at plerumque debeamus librariis ipsis, quum ubicunque aut casuum error intererat, aut, si qua definxerat voces aberratio, forma illa male oblitterata se nobis ostendat.

Iam cur ex meis libris modo hunc modo illum secutus sim, tum rationibus breviter ad singulos quosque locos adiectis exposui, tum legentium acumini reliqui investigandum. Nunquam id tamen sine quadam idonea, quae quidem mihi talis esse videbatur, ratione ipse feci; sed addere eam omisi, tum ut opellae brevitati consuleretur, tum ut iis, qui hac critica arte se exercere vellent, ne utilissima praeriperetur occasio. Si quidem haec Teubnerianarum editionum series discentibus ex magna parte dicata est. Contra si quando, quid verius esset, haerebam, aperte id semper professus sum. Eandemque viam ingressus sum in muniendis scriptorum auctoritate receptis lectionibus. Nul-

lum enim scriptorum locum apposui, ubi exempla probi sermonis habebam certa, quaeque quivis adponere posset ipse; sed ubi alii ante me latine sic dici negarant, ibi exemplum addidi, itemque ubi optima ne ego quidem habebam. Semel tamen hanc regulam me neglexisse video. Quum enim III, 29, 29 *ut oestro percitus Io* suspicarer, adiiciendum haud dubie erat, poëtas seriores hac voce uti satis libere, an Propertio conveniret, esse quaerendum; ipse I, 18, 15 fortasse *furorem* appellavit: *Non ita saeva tamen venerit ira mea, Ut tibi sim merito semper furor.* Itaque fortasse rectius suadebitur: *ut estu perditus*, una littera *de* mutata in *u.* Interdum vero etiam pluribus verbis vel coniecturas meas defendi, vel lectionis recensum institui, vel priorum interpretum coniecturas cum vera codicum scriptura comparavi, vel carminis argumentum exposui fusius, vel de grammaticae partibus disserui plenius; illic quidem, ubi tam difficilem poëtam ex variis expositionibus et coniecturarum molimine esse coniectabam, ut vererer, ne aut superbiae notam contraherem taciturus, aut ne subterfugere voluisse laborem viderer, si quae me melius intellexisse putarem, communicare cum aliis recusassem. Atque etiam tam intimo animo mihi quaedam Propertii carmina grata sunt, ut sine ampliori ea dote dimittere non possem. Id quod in carmine libri tertii vigesimo et octavo mihi evenisse profiteor.

Ceterum in omni hac varietate lectionis ea commenta, quae inani quodam elegantiarum studio ab interpretibus obtrusa videbam Propertio, ne verbo quidem commemoranda censui; modo id eruditi lectores teneant, ubi a plerisque recensionibus mea recedat scriptio, illic a me semper omnes esse codices probos, causam, quae verborum aliquam immutationem flagitet, idoneam nullam.

Explicationem autem verborum et rerum, cui ab aliis in plerisque esset satis prospectum, nullam addere volebam; nisi quod, ubi a prioribus interpretibus abire necesse habebam, aut ubi quid novi additurus mihi videbar, verbo legentem admonui. Neque hoc tamen ubique feci, ubi

poteram; nam alia mihi tam videbantur aperte errari, ut refutationem adponere iudicarem supervacaneum, alia hanc operis brevitatem fugiebant.

Liberius aliquanto, quam in scribendis carminibus, in divisione et librorum et carminum versatus sum. Tum quia in his rebus, ut in quibus scriptorum librorum aut nulla aut admodum exigua auctoritas sit, iudicio res unice erat agenda, tum quia LACHMANNI rationes in eius praefatione inde a pagina XVIII ma expositae, etiamsi in nonnullis aliter statuo, tam tamen certae sunt, quibus quinque libros carmina complexa commonstravit, ut ab eis, vel si maior codicum auctoritas contra stetisset, discedere plane non possem. In carminibus autem maxime libri tertii et coniungendis et disiungendis ab omnibus reliquis abire non sum veritus; neque enim in singulorum versuum ordine quidquam mutatum est, et ne locos singulos quaerentibus minus esset consultum, Vulpianos numeros ubique inclusos uncis adscripsi. Nihil igitur inde pervolutaturis lecturisve nascetur incommodi, intelligentia, nisi rationibus meis erravi, poëtae augebitur.

Cui etiam orationis perspicuitati accurata enunciatorum incisione haud paucis locis prospexisse mihi videor; quamquam amplior quidem LACHMANNI hac in re ante me messis fuerat. Admonere de mutata interpunctione lecturos, nisi ubi sensus ea alius efficiebatur, in singulis omnibus nolui. Signa exclamationis et interrogationis quod in repetita utravis figura modo densiora modo rariora apposui, id erat in causa, quod orationem incitatam vel propter indignationem vel propter aliam aliquam animi vehementiorem perturbationem breviores etiam magisque vibrantes elocutiones decere censebam; quum vero lenius oratio, ut in timida increpatione, procedebat, eandem orationem, licet suis incisionibus interstincta esset, quibus illa signa poni possent, continuandam tamen existimabam diutius, veluti I, 2, initio. Colon autem posui, quando, ut plurimus Elegiacorum mos est, omissa orationis copula, sententiae instar quaedam, in versibus maxime minoribus,

elocutio adiuncta est. Ceterum quamdiu interpunctionis (non facile illud copulandum) consilium erit duplex, alterum, ut orationis structura subindicetur legenti, alterum, ut, ubi vox inhibenda paulisper sit in recitatione, demonstret, nunquam ex his turbis, in quibus nunc omnis haec res involuta est, expediemur; minuetur difficultas, quando istud prius consilium quam poterit minime fieri, noluerimus consequi. Atque ego quoque rarius etiam hanc interpunctionem collocassem, nisi in libro iuvenibus ex magna parte destinato aliter institutis liberius agere iure essem veritus. Quum multo frequentius, quam par erat, in hac parte erratum esse a typothetis videam, ut antequam ad lectionem accedant lecturi hos errores in calce libri notatos corrigant, adhortor.

Denique de codicum nostrorum natura et indole, in quarum accurata comparatione praecipua huius libelli laus est, lectores ad alios libros dimittere, ubi de iis esset expositum, quum iniquum videretur, excerpere eas partes, quae huc pertinerent, conducibile visum est.

LACHMANNI praefatio pagina IX: „Bonitate igitur, fortasse non item vetustate (certe nihil eiusmodi annotatum ab eis, qui librum inspexerunt, video) principatum inter codices Propertianos tenent membranae GRONINGANAE in Italia conscriptae. Huius libri lectiones Ianus Mellerus Palmerius, Franciscus Modius, Ianus Brouckhusius, Petrus Burmannus enotaverunt, nemo tamen omnes, ut quamvis hos cunctos inspicias, tamen de multis locis dubites. Ceterum ne cui temere credas, singuli aliquoties fallunt, Palmerius tamen et Burmannus caeteris frequentius. Quae vero idem Burmannus adhibuit *excerpta Francisci Modii*, eorum pars ex hoc libro est, alia ex aliis deterioribus, quod ex ipsis scripturis cum alibi, tum libro II, (nobis III, 3) 1 apud Burmannum intelliges.“ — Quam multa autem quamque egregia huius libri lectionum pars neglecta huc usque et incognita iacuerit, etiam obiter instituta mearum copiarum comparatio docebit. Neque tamen sine magna cautione his lectionibus esse parendum, quum viri non nimis do-

cti, satis tamen antiqui recensionem liber perpessus sit (vel potius is, unde Groning. descriptus est), exemplis quibusdam, quae ab attento lectore augeri facile poterunt, ad librum III, 1, 17 aperui. —

Ibidem pagina X: „Codicem Gron. — proxime subsequuntur membranae NEAPOLITANAE, quas Heinsius satis negligenter et cum festinatione contulit Neapoli ad S. Iohannem Carbonarium visas: nunc Guelferbytum tenet inter codices Gudianos insignitas numero 224, unde cum caeteris ad breve tempus ante hoc triennium in urbem nostram translatas nos — maiore cum cura nec sine fructu excussimus. Hic autem codex GRONINGANO vix inferior bonitate, et ab omni parte integer, nisi quod carminis postremi pars (v. 17 — 74) intercidit, extra Italiam scriptus est ante annos ferme quingentos, unde satis antiquus dicitur ab Heinsio in adversariis II, 6 et ad Ovidium art. amat. III, 154." etc.

De PVCCIO si quis praeter ea, quae sub indice siglorum Lachmanni verbis descripta sunt, plura audire voluerit, eum SANTENII praefationem (inde a pagina XII apud Kuinoel.) adire iubeo. Sin, quid ego de his PVCCII subsidiis sentiam, quaeris, hoc respondeo: Egregius BERNARDINI VALLAE codex, qui nec antiquos Propertii interpretes latuit, cuique Philippus Beroaldus aliique haud dubie plurima debent, ad praeclarissima Propertii exempla pertinet. Neque tamen, quae PVCCIVS in Regiensem editionem intulit, omnia ex eo fluxerunt, sed, quod summo opere dolendum, ingenio etiam haud pauca suo aliorumque inventa depromtis ex illo libro lectionibus immiscuit. Atque rarius id quidem eum in libris primis fecisse video et ita, ut fontem, ex quo hauserat emendationem, nominaverit, codicis autem lectionem suamque sententiam protulerit iunctim; saepius autem atque audacius ingerere sua in libro ultimo putarim; unde, quo longius progredimur, eo magis sensim imminui eius auctoritatem dolemus. Neque tamen ea solum ex Vallae codice desumta sunt, quae ipsis editionis Regiensis verbis substituit, verum etiam per *fortasse*

inductae scriptiones haud raro ipsae illius codicis sunt. Sed diiudicare in omnibus, quid ipsi aliisve, quid libro esset tribuendum, non ego valebam. Quare quum aliis magis aliis minus dubiae auctoritatis hic liber videbitur, aliter alios viros eruditos de his lectionibus, quas inde vel carminibus intuli vel assumere sprevi, iudicaturos in singulis locis intelligo. Sic I, 8, 19 *per saeva Ceraunia* erunt fortasse, qui recipiendum fuisse negent; et contra II, 3, 15 *Si quando Araba lucet bombyce puella* non recte in varietate lectionis relictum esse alios affirmaturos exspecto. Accipe iam LACHMANNI manu ad me datam notarum explicationem.

INDEX SIGLORUM.

— FM. Excerpta Francisci Modii descripta Nicolai Heinsii manu in marginibus exemplaris Aldini 1515. haec quia tantum non omnia e codice Groningano sunt, eorum cum Schradero dissensionem indicavi, consensum fere tacui.

— Gron. Codex bibliothecae Groninganae membranaceus in 8vo formae minoris, Broukhusio iudice non valde antiquus. huius scripturas Iohannes Schraderus annotavit in exemplari Plantiniano 1560: carmen libri V. XI Santenio totum descripsit E. v. Driel.

— Neap. Codex olim Neapolitanus, nunc Guelferbyti inter Gudianos 224 (vide nuperum catalogum Eberti p. 140), quaternis in membrana scriptus saeculo XIII, quem cum Barthiana lectione contuli Gottingae anno 1813.

— Puc. Emendationes quas Franciscus Puccius in exemplar editionis Regiensis a Lepido 1481 priore scriptura deleta intulisse dicitur in excerptis, quae Iuvenatius in Santenii usum fieri curavit. has ubi a Groningano et Neapolitano confirmabantur, raro commemorandas duxi; quod meminisse debent qui commentarios nostros cum editione Regiensi comparabunt.

— *Puccius.* Quae idem Puccius ad marginem eiusdem libri annotasse fertur; in quo genere pleraque quae ad interpretationem pertinebant neglexi. De excerptis Puccii

haec scribit ad Santenium Iuvenatius: 'Emendationes et adnotationes Francisci Puccii descriptae sunt ex libro Regii Lepidi impresso Anno Sa. 1481 19 Kl. octo.; exstabatque apud Victorios Romae; sed his ipsis diebus cum aliis huius generis codicibus emptus est a . . . . (*sic*) Palatino.' Subscriptionem librarius Iuvenatii hoc modo conceptam exhibet:

. . . . haec annotabat Anno salutis M. D. II· Augustino Scarpinella comite studiorum sequutus fidem antiquissimi codicis qui pm fuit Bernardini Vallae patritii Romani viri doctissimi dein ab eo dono est datus Alfonso secundo regi Neapno principi litterarum amantissimo.

Contuli cum Codice autographo . . . . ad unguem omnia in nostrum hunc exscriber . . . . . Idibus Iuliis M. D. XXI. P. Victorius.

De his Iuvenatius, 'Francisci Puccii nomen, inquit, cur abrasum sit in subscriptionibus, caussam dicere non possum. Certe abrasum est, ut ne vestigium quidem ullum modo appareat. Sed suppleri hic tuto potest ex tribus quatuorve, si bene memini, Neapolitanis codicibus, in quibus eadem subscriptio, iisdemque plane verbis legitur. Horum unus exstat apud Aloisium Lancellotum virum eruditiss. Ceteros servat Bibliotheca Carbonaria Monachorum Augustiniensium.' conf. Leonh. Spengelii specimen lectionum in Catulli carmina Monachii editum 1827, p. 2.

— Rheg. Scripturae editionis Regiensis quas a Puccio mutatas esse non tradebatur.

(— Rheg.) Eiusdem libri Regiensis scripturae non paucae quas quamvis a Puccio correctas tamen commemorandas putavi.

Perreii excerptis quae exemplari Aldino 1515 non uno omnia tempore ascripsit, *) Burmannus ita usus est ut

---

*) Huic iudicio haec Lachmannus addit in litteris ad me datis: „Perreium dico non uno omnia tempore ascripsisse; et est profecto

pleraque praeterire potuerim. Perreio quia cum Puccio in permultis convenit, prae ceteris ea excerpsi quae maximam praebent de Puccii annotatione dubitandi materiam. ceterum Perreius Propertio a se recensito subscripsit haec, deletis, quod etiam in Tibullo fecit, iis quae prius scripserat:

Emendabam et annotabam Catullum Tibullum et Propertium ego Ant. Perr... collatis vetustissimis exemplaribus alio Pontani alio Epi Cremon. alio Fran. Puccii nec non aliis Romae et Florent. habitis anno 15.... et 15....

numeri annorum deleti sunt, sed posterior fuit 1528, qui annus et Catullo et Tibullo subscriptus est.

Quae ex aliis codicibus ab Heinsio et Schradero notata posui, non magnae rei sunt. excerptis M. Anto. Pocchi et Octavii Ferrarii, quod erant manibus mihi ignotis descripta, uti nolui, praesertim cum iis nihil novi inesset. atque ita omnino sentio, nihil boni esse in codicibus Propertii, quod non aut Neapolitanus aut Groninganus, cum quibus liber Regiensis usquequaque consentit, exhibeant aut Franciscus Puccius annotaverit, quamquam non nego huius fidem mihi in multis suspectam esse. itaque in aliis libris conferendis tempus inutiliter consumi iudico, cum ex Menteliano quoque et Palatinis, qui ceteris meliores sunt, veram scripturam vix ullam suscipere licuerit quae vel mediocrem coniectorem fefellisset. sunt autem verae lectiones, si bene memini, ex Menteliano dissentientibus optimis receptae I, 22, 6 Sic; II, 6, 20 durae; II, 6, 26 cuilibet; III, 7, 47 Me; III, 12, 2 coles; III, 31, 6 anus; III, 33, 59 hesternis; IV, 10, 29 vexerat; IV, 10, 64 Ac; V, 9, 43 Quid si; ex Palatinis III, 4, 39 Illic; III, 31, 13 platanis pariter; IV, 10, 67 condiderunt; IV, 17, 9 demersit; (?) V, 1, 9 Qua.

Scrib. Berolini d. XIV m. Maii 1827.

---

tam sibi dissimilis scriptio, ut aliquis duas etiam, nisi plures, se manus agnoscere posset iudicare; sed singula quaeque a qua manu descripta sint, non facile dicas."

Mihi quidem, ut horum locorum comparatio docebit, rarius etiam quam amicissimo Lachmanno ad istos codices confugiendum videbatur. Sed tanto etiam maiores, si modo verum vidi, praeclarissimo huic viro debentur gratiae, qui ex Berolinensi Bibliotheca Regia, ubi Santenii thesauri post Diezii obitum in liberalissima eruditi orbis beneficia hodie servantur, codicum nostrorum cum summa accuratione descriptam lectionis varietatem ad me dare rogatus voluit. Ad hunc igitur virum quodcunque inde boni, quod non minimum esse sentio, ad Propertium accesserit, omnes illae iure referentur laudes; ac si mea quoque studia ex hoc apparatu vel ex aliqua parte iuvisse poëtae intelligentiam iudicabuntur, compos votorum laetabor.

Scribebam Posnaniae d. XXI m. Augusti 1827.

SEX. AURELII PROPERTII
ELEGIARUM
LIBER PRIMUS.

I.

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,
Contactum nullis ante cupidinibus.
Tum mihi constantis deiecit lumina fastus,
Et caput impositis pressit Amor pedibus,
Donec me docuit castas odisse puellas,
Improbus! et nullo vivere consilio.
Et mihi iam toto furor hic non deficit anno,
Cum tamen adversos cogor habere deos.
Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores
Saevitiam durae contudit Iasidos.
Nam modo Partheniis amens errabat in antris,
Ibat et hirsutas ille videre feras;
Ille etiam Hylaei percussus volnere rami
Saucius Arcadiis rupibus ingemuit.
Ergo velocem potuit domuisse puellam; —
Tantum in amore preces et benefacta valent! —
In me tardus Amor non ullas cogitat artes,
Nec meminit notas, ut prius, ire vias.
At vos, deductae quibus est fallacia lunae,
Et labor in magicis sacra piare focis,
En agedum, dominae mentem convertite nostrae,
Et facite illa meo palleat ore magis!
Tunc ego crediderim vobis, et sidera et amnes
Posse Cytainis ducere carminibus.

I, 9. *Mination.* 13. *Psilli.*

Et vos, qui sero lapsum revocatis, amici,
Quaerite non sani pectoris auxilia.
Fortiter et ferrum, saevos patiemur et ignes;
Sit modo libertas, quae velit ira, loqui.
Ferte per extremas gentes et ferte per undas,
Qua non ulla meum femina norit iter.
Vos remanete, quibus facili Deus annuit aure,
Sitis et in tuto semper amore pares.
In me nostra Venus noctis exercet amaras,
Et nullo vacuus tempore defit amor.
Hoc, moneo, vitate malum: Sua quemque moretur
Cura, neque assueto mutet amore locum.
Quod si quis monitis tardas adverterit aures,
Heu, referet quanto verba dolore mea!

II.

Quid iuvat ornato procedere, vita, capillo,
Et tenues Coa veste movere sinus?
Aut quid Orontea crines perfundere myrrha,
Teque peregrinis vendere muneribus,
Naturaeque decus mercato perdere cultu,
Nec sinere in propriis membra nitere bonis?
Crede mihi, non ulla tuae est medicina figurae:
Nudus Amor formae non amat artificem:
Aspice, quos summittit humus formosa colores,
Et veniant hederae sponte sua melius,
Surgat et in solis formosius arbutus antris,
Et sciat indociles currere lympha vias.
Litora nativis collucent picta lapillis,
Et volucres nulla dulcius arte canunt.
Non sic Leucippis succendit Castora Phoebe,
Pollucem cultu non Hilaïra soror,
Non, Idae et cupido quondam discordia Phoebo,
Eveni patriis filia litoribus;
Non Phrygium falso traxit candore maritum

Avecta externis Hippodamia rotis:
Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
Qualis Apelleis est color in tabulis.
Non illis studium vulgo conquirere amantes;
Illis ampla satis forma pudicitia.
Non ego nunc vereor, ne sim tibi vilior istis:
Uni si qua placet, culta puella sat est;
Cum tibi praesertim Phoebus sua carmina donet,
Aoniamque libens Calliopea lyram:
Unica nec desit iocundis gratia verbis,
Omnia, quaeque Venus quaeque Minerva probat.
His tu semper eris nostrae gratissima vitae,
Taedia dum miserae sint tibi luxuriae.

III.

Qualis Thesea iacuit cedente carina
Languida desertis Gnosia litoribus,
Qualis et accubuit primo Cepheïa somno,
Libera iam duris cotibus Andromede,
Nec minus assiduis Edonis fessa choreis
Qualis in herboso concidit Apidano,
Talis visa mihi mollem spirare quietem
Cynthia, non certis nixa caput manibus,
Ebria cum multo traherem vestigia Baccho,
Et quaterent sera nocte facem pueri.
Hanc ego, nondum etiam sensus deperditus omnes,
Molliter impresso conor adire toro.
Et quamvis duplici correptum ardore iuberent
Hac Amor hac Liber, durus uterque deus,
Subiecto leviter positam temptare lacerto,
Osculaque admota sumere et arma manu,
Non tamen ausus eram dominae turbare quietem,
Expertae metuens iurgia saevitiae:
Sed sic intentis haerebam fixus ocellis,
Argus ut ignotis cornibus Inachidos.

Et modo solvebam nostra de fronte corollas,
Ponebamque tuis, Cynthia, temporibus;
Et modo gaudebam lapsos formare capillos;
Nunc furtiva cavis poma dabam manibus,
Omniaque ingrato largibar munera somno,
Munera de prono saepe voluta sinu.
Et quotiens raro duxti suspiria motu,
Obstupui vano credulus auspicio,
Ne qua tibi insolitos portarent visa timores,
Neve quis invitam cogeret esse suam;
Donec diversas percurrens luna fenestras,
Luna moraturis sedula luminibus,
Compositos levibus radiis patefecit ocellos.
Sic ait, in molli fixa toro cubitum:
Tandem te nostro referens iniuria lecto
Alterius clausis expulit e foribus?
Namque ubi longa meae consumpsti tempora noctis,
Languidus exactis, hei mihi, sideribus?
O utinam tales perducas, improbe, noctes,
Me miseram quales semper habere iubes!
Nam modo purpureo fallebam stamine somnum,
Rursus et Orpheae carmine, fessa, lyrae;
Interdum leviter mecum deserta querebar
Externo longas saepe in amore moras:
Dum me iocundis lapsam sopor impulit alis.
Illa fuit lacrimis ultima cura meis.

IV.

Quid mihi tam multas laudando, Basse, puellas
Mutatum domina cogis abire mea?
Quid me non pateris, vitae quodcumque sequetur,
Hoc magis assueto vivere servitio?
Tu licet Antiopae formam Nycteïdos et tu
Spartanae referas laudibus Hermionae,
Et quascumque tulit formosi temporis aetas:

Cynthia non illas nomen habere sinet;
Nedum, si levibus fuerit collata figuris,
Inferior duro iudice turpis eat.
Haec sed forma mei pars est extrema furoris;
Sunt maiora, quibus, Basse, perire iuvat:
Ingenuus color et multis decus artibus et quae
Gaudia sub tacita dicere veste libet.
Quo magis et nostros contendis solvere amores,
Hoc magis accepta fallit uterque fide.
Non impune feres! Sciet haec insana puella,
Et tibi non tacitis vocibus hostis erit.
Nec tibi me post haec committet Cynthia, nec te
Quaeret: erit tanti criminis illa memor;
Et te circum omnes alias irata puellas
Differet: heu nullo limine carus eris!
Nullas illa suis contemnet fletibus aras,
Et quicumque sacer, qualis, ubique, lapis.
Non ullo gravius tentatur Cynthia damno,
Quam sibi cum rapto cessat amore deus,
Praecipue nostri: Maneat sic semper, adoro;
Nec quicquam ex illa, quod querar, inveniam.

V.

Invide, tu tandem voces compesce molestas,
Et sine nos cursu, quo sumus, ire pares.
Quid tibi vis, insane? meos sentire furores?
Infelix, properas ultima nosse mala,
Et miser ignotos vestigia ferre per ignes,
Et bibere e tota toxica Thessalia.
Non est illa vagis similis, collata, puellis;
Molliter irasci non solet illa tibi.
Quod si forte tuis non est contraria votis,
At tibi curarum milia quanta dabit!

IV, 13. calor.

Non tibi iam somnos, non illa relinquet ocellos:
Illa feros animis alligat una viros.
Ah mea contemtus quotiens ad limina curres,
Cum tibi singultu fortia verba cadent,
Et tremulus maestis orietur fletibus horror,
Et timor informem ducet in ore notam,
Et quaecumque voles fugient tibi verba querenti,
Nec poteris, qui sis aut ubi, nosse miser.
Tum grave servitium nostrae cogere puellae
Discere, et exclusum quid sit abire domum;
Nec iam pallorem totiens mirabere nostrum,
Aut cur sim toto corpore nullus ego.
Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti:
Nescit Amor priscis cedere imaginibus.
Quod si parva tuae dederis vestigia culpae,
Quam cito de tanto nomine rumor eris!
Non ego tum potero solatia ferre roganti,
Cum mihi nulla mei sit medicina mali;
Sed pariter miseri socio cogemur amore
Alter in alterius mutua flere sinu.
Quare, quid possit mea Cynthia, desine, Galle,
Quaerere; non impune illa rogata venit.

VI.

Non ego nunc Hadriae vereor mare noscere tecum,
Tulle, neque Aegaeo ducere vela salo;
Cum quo Rhipaeos possim conscendere montes,
Ulteriusque domos vadere Memnonias:
Sed me complexae remorantur verba puellae,
Mutatoque graves saepe colore preces.
Illa mihi totis argutat noctibus ignes,
Et queritur nullos esse relicta deos;
Illa meam mihi iam se denegat; illa minatur,

V, 20. domo.

Quae solet irato tristis amica viro.
His ego non horam possum durare querelis;
Ah pereat, si quis lentus amare potest!
An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas,
Atque Asiae veteres cernere divitias,
Ut mihi deducta faciat convicia puppi
Cynthia, et insanis ora notet manibus,
Osculaque opposito dicat sibi debita vento,
Et nihil infido durius esse viro?
Tu patrui meritas conāre anteire secures,
Et vetera oblitis iura refer sociis.
Nam tua non aetas umquam cessavit amori,
Semper et armatae cura fuit patriae;
Et tibi non umquam nostros puer iste labores
Afferat et lacrimis omnia nota meis.
Me sine, quem semper voluit fortuna iacere,
Hanc animam extremae reddere nequitiae.
Multi longinquo periere in amore libenter,
In quorum numero me quoque terra tegat.
Non ego sum laudi, non natus idoneus armis:
Hanc me militiam fata subire volunt.
At tu seu mollis qua tendit Ionia, seu qua
Lydia Pactoli tingit arata liquor,
Seu pedibus terras, seu pontum carpere remis
Ibis, et accepti pars eris imperii,
Tum tibi si qua mei veniet non immemor hora,
Vivere me duro sidere certus eris.

VII.

Dum tibi Cadmeae dicuntur, Pontice, Thebae,
Armaque fraternae tristia militiae,
Atque, ita sim felix, primo contendis Homero, —
Sint modo fata tuis mollia carminibus, —

VI, 34. asserti.

Nos, ut consuemus, nostros agitamus amores,
  Atque aliquid duram quaerimus in dominam;
Nec tantum ingenio, quantum servire dolori
  Cogor et aetatis tempora dura queri.
Hic mihi conteritur vitae modus; haec mea fama est;
  Hinc cupio nomen carminis ire mei.
Me laudent doctae solum placuisse puellae,
  Pontice, et iniustas saepe tulisse minas;
Me legat assidue post haec neglectus amator,
  Et prosint illi cognita nostra mala.
Te quoque si certo puer hic concusserit arcu, —
  Quod nolim nostros eviolasse deos! —
Longe castra tibi, longe miser agmina septem
  Flebis in aeterno surda iacere situ;
Et frustra cupies mollem componere versum,
  Nec tibi subiiciet carmina serus Amor.
Tum me non humilem mirabere saepe poetam;
  Tunc ego Romanis praeferar ingeniis;
Nec poterunt iuvenes nostro reticere sepulcro:
  Ardoris nostri magne poeta iaces.
Tu cave nostra tuo contemnas carmina fastu:
  Saepe venit magno fenore tardus Amor.

VIII.

Tune igitur demens? nec te mea cura moratur?
  An tibi sum gelida vilior Illyria?
Et tibi iam tanti, quicumque est, iste videtur,
  Ut sine me vento quolibet ire velis?
Tune audire potes vesani murmura ponti
  Fortis, et in dura nave iacere potes?
Tu pedibus teneris positas fulcire ruinas?
  Tu potes insolitas, Cynthia, ferre nives?
O utinam hibernae duplicentur tempora brumae,
  Et sit iners tardis navita Vergiliis!
Nec tibi Tyrrhena solvatur funis arena;

Neve inimica meas elevet aura preces,
Atque ego non videam tales subsidere ventos,
Cum tibi provectas auferet unda rates; —
Et me defixum vacua patiatur in ora
Crudelem infesta saepe vocare manu!
Sed quocumque modo de me, periura, mereris,
Sit Galatea tuae non aliena viae!
Ut te felici per saeva Ceraunia remo
Accipiat placidis Oricos aequoribus!
Nam me non ullae poterunt corrumpere taedae,
Quin ego, vita, tuo limine verba querar;
Nec me deficiet nautas rogitare citatos:
Dicite, quo portu clausa puella mea est?
Et dicam, licet Atraciis considat in oris,
Et licet Eleis: Illa futura mea est. —
Hic erit! Hic iurata manet! Rumpantur iniqui!
Vicimus! Assiduas non tulit illa preces!
Falsa licet cupidus deponat gaudia livor:
Destitit ire novas Cynthia nostra vias.
Illi carus ego, et per me carissima Roma
Dicitur, et sine me dulcia regna negat.
Illa vel angusto mecum requiescere lecto,
Et quocumque modo maluit esse mea,
Quam sibi dotatae regnum vetus Hippodamiae,
Et quas Elis opes ante pararat equis.
Quamvis magna daret, quamvis maiora daturus,
Non tamen illa meos fugit avara sinus.
Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,
Sed potui blandi carminis obsequio.
Sunt igitur Musae, neque amanti tardus Apollo;
Quis ego fretus amo: Cynthia rara mea est.
Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis:
Sive dies seu nox venerit, illa mea est;
Nec mihi rivalis certos subducet amores.
Ista meam norit gloria canitiem!

VIII. Versuum verus ordo: 15, 16, 13, 14.

IX.

Dicebam tibi venturos, irrisor, amores,
  Nec tibi perpetuo libera verba fore:
Ecce iaces, supplexque venis ad iura puellae,
  Et tibi nunc quovis imperat empta modo.
Non me Chaoniae vincant in amore columbae
  Dicere, quos iuvenes quaeque puella domet.
Me dolor et lacrimae merito fecere peritum:
  Atque utinam posito dicar amore rudis!
Quid tibi nunc misero prodest grave dicere carmen,
  Aut Amphioniae moenia flere lyrae?
Plus in amore valet Mimnermi versus Homero:
  Carmina mansuetus lenia quaerit Amor.
I, quaeso, et tristis istos compone libellos,
  Et cane, quod quaevis nosse puella velit.
Quid si non esset facilis tibi copia? nunc tu
  Insanus medio flumine quaeris aquam.
Nec dum etiam palles, vero nec tangeris igni;
  Haec est venturi prima favilla mali.
Tum magis Armenias cupies accedere tigres,
  Et magis infernae vincula nosse rotae,
Quam pueri totiens arcum sentire medullis,
  Et nihil iratae posse negare tuae.
Nullus Amor cuiquam facilis ita praebuit alas,
  Ut non alterna presserit ille manu.
Nec te decipiat, quod sit satis illa parata:
  Acrius illa subit, Pontice, si qua tua est;
Quippe ubi non liceat vacuos seducere ocellos,
  Nec vigilare alio nomine cedat Amor;
Qui non ante patet, donec manus attigit ossa.
  Quisquis es, assiduas aufuge blanditias.
Illis et silices possunt et cedere quercus;
  Nedum tu possis, spiritus iste levis.

IX, 30. ah fuge.

Quare, si pudor est, quam primum errata fatere:
Dicere quo pereas, saepe in amore levat.

X.

O iocunda quies, primo cum testis amori
Adfueram vestris conscius in lacrimis!
O noctem meminisse mihi iocunda voluptas!
O quotiens votis illa vocanda meis!
Cum te complexa morientem, Galle, puella
Vidimus et longa ducere verba mora.
Quamvis labentes premeret mihi somnus ocellos,
Et mediis coelo Luna ruberet equis,
Non tamen a vestro potui secedere lusu;
Tantus in alternis vocibus ardor erat.
Sed quoniam non es veritus concredere nobis,
Accipe commissae munera laetitiae:
Non solum vestros didici reticere dolores,
Est quiddam in nobis maius, amice, fide.
Possum ego diversos iterum coniungere amantes,
Et dominae tardas possum aperire fores:
Et possum alterius curas sanare recentis,
Nec levis in verbis est medicina meis.
Cynthia me docuit semper quaecumque petenda
Quaeque cavenda forent; non nihil egit Amor.
Tu cave, ne tristi cupias pugnare puellae,
Neve superba loqui, neve tacere diu;
Neu si quid petiit, ingrata fronte negaris;
Neu tibi pro vano verba benigna cadant.
Irritata venit, quando contemnitur illa,
Nec meminit iustas ponere, laesa, minas:
At quo sis humilis magis, et subiectus amori,
Hoc magis effecto saepe fruare bono.

X, 13: calores.

Is poterit felix una remanere puella,
Qui numquam vacuo pectore liber erit.

XI.

Ecquid te mediis cessantem, Cynthia, Baiis,
Qua iacet Herculeis semita litoribus,
Et modo Thesproti mirantem subdita regno
Proxima Misenis aequora nobilibus
Nostri cura subit memores ah ducere noctes?
Ecquis in extremo restat amore locus?
An te nescio quis simulatis ignibus hostis
Sustulit e nostris, Cynthia, carminibus?
Atque utinam mage te remis confisa minutis
Parvula Lucrina cymba moretur aqua;
Aut teneat clausam tenui Teuthrantis in unda
Alternae facilis cedere lympha manu,
Quam vacet alterius blandos audire susurros
Molliter in tacito litore compositam;
Ut solet amoto labi custode puella,
Perfida communes nec meminisse deos;
Non quia perspecta non es mihi cognita fama,
Sed quod in hac omnis parte timetur Amor.
Ignosces igitur, si quid tibi triste libelli
Attulerint nostri: culpa timoris erit.
Haud mihi sit maior carae custodia matris;
Haud sine te vitae cura sit ulla meae.
Tu mihi sola domus, tu, Cynthia, sola parentes,
Omnia tu nostrae tempora laetitiae.
Seu tristis veniam, seu contra laetus amicis,
Quicquid ero, dicam: Cynthia causa fuit.
Tu modo quamprimum corruptas desere Baias;
Multis ista dabunt litora dissidium;

XI, 11. *teutantis.* 21. *Aut.* 28. *dabant.*

Litora, quae fuerant castis inimica puellis.
Ah pereant Baiae crimen amoris aquae!

XII.

Quid mihi desidiae non cessas fingere crimen,
Quod faciat nobis conscia Roma moram?
Tam multa illa meo divisa est milia lecto,
Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.
Nec mihi consuetos amplexu nutrit amores
Cynthia, nec nostra dulcis in aure sonat.
Olim gratus eram: non illo tempore cuiquam
Contigit, ut simili posset amare fide.
Invidiae fuimus. Num me Deus obruit? an quae
Lecta Prometheis dividit herba iugis?
Non sum ego, qui fueram; mutat via longa puellas.
Quantus in exiguo tempore fugit amor!
Nunc primum longas solus cognoscere noctes
Cogor et ipse meis auribus esse gravis.
Felix, qui potuit praesenti flere puellae; —
Nonnihil aspersis gaudet Amor lacrimis; —
Aut si despectus potuit mutare calores:
Sunt quoque translato gaudia servitio.
Mi neque amare aliam neque ab hac discedere fas est:
Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

XIII.

Tu, quod saepe soles, nostro laetabere casu,
Galle, quod abrepto solus amore vacem;
At non ipse tuas imitabor, perfide, voces;
Fallere te numquam, Galle, puella velit!
Dum tibi deceptis augetur fama puellis,
Certus et in nullo quaeris amore moram;
Perditus in quadam tardis pallescere curis

Incipis et primo lapsus adire gradu.
Haec erit illarum contempti poena doloris:
Multarum miseras exiget una vices.
Haec tibi vulgares istos compescet amores;
Nec nova quaerendo semper amicus eris.
Haec ego non rumore malo, non augure doctus;
Vidi ego; me, quaeso, teste negare potes?
Vidi ego te toto vinctum languescere collo
Et flere iniectis, Galle, diu manibus,
Et cupere optatis animam deponere verbis,
Et quae deinde meus celat, amice, pudor.
Non ego complexus potui diducere vestros;
Tantus erat demens inter utrosque furor.
Non sic Haemonio Salmonida mixtus Enipeo
Taenarius facili pressit amore deus;
Nec sic caelestem flagrans amor Herculis Heben
Sensit in Oetaeis gaudia prima iugis.
Una dies omnes potuit praecurrere amantes;
Nam tibi non tepidas subdidit illa faces,
Nec tibi praeteritos passa est succedere fastus,
Nec sinet abduci: te tuus ardor aget.
Nec mirum, cum sit Iove digna et proxima Ledae,
Et Ledae partu, gratior una tribus,
Illa sit Inachiis et blandior heroinis,
Illa suis verbis cogat amare Iovem.
Tu vero quoniam semel es periturus amore,
Utere: non alio limine dignus eras.
Quae tibi sit, felix quoniam novus incidit error;
Et quodcumque voles, una sit ista tibi.

XIV.

Tu licet abiectus Tiberina molliter unda
Lesbia Mentoreo vina bibas opere,

XIII. 17. labris. 24. ab. 25. amores.

Et modo tam celeres mireris currere lintres,
Et modo tam tardas funibus ire rates,
Et nemus omne satas intendat vertice silvas,
Urgetur quantis Caucasus arboribus:
Non tamen ista meo valeant contendere amori;
Nescit Amor magnis cedere divitiis.
Nam sive optatam mecum trahit illa quietem,
Seu facili totum ducit amore diem,
Tum mihi Pactoli veniunt sub tecta liquores,
Et legitur rubris gemma sub aequoribus;
Tum mihi cessuros spondent mea gaudia reges;
Quae maneant, dum me fata perire volent.
Nam quis divitiis adverso gaudet Amore?
Nulla mihi tristi praemia sint Venere!
Illa potest magnas heroum infringere vires;
Illa etiam duris mentibus esse dolor.
Illa neque Arabium metuit transcendere limen,
Nec timet ostrino, Tulle, subire toro,
Et miserum toto iuvenem versare cubili:
Quid relevant variis serica textilibus?
Quae mihi dum placata aderit, non ulla verebor
Regna nec Alcinoi munera despicere.

XV.

Saepe ego multa tuae levitatis dura timebam,
Hac tamen excepta, Cynthia, perfidia.
Aspice me quanto rapiat Fortuna periclo:
Tu tamen in nostro lenta timore venis;
Et potes hesternos manibus componere crines,
Et longa faciem quaerere desidia,
Nec minus Eois pectus variare lapillis,
Ut formosa novo quae parat ire viro.
At non sic Ithaci digressu mota Calypso
Desertis olim fleverat aequoribus:
Multos illa dies incomptis maesta capillis

Sederat, iniusto multa locuta salo;
Et, quamvis numquam posthacc visura, dolebat
Illa tamen longae conscia laetitiae.
Alphesiboea suos ulta est pro coniuge fratres,
Sanguinis et cari vincula rupit Amor.
Nec sic Aesoniden rapientibus anxia ventis
Hypsipyle vacuo constitit in thalamo:
Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
Ut semel Haemonio tabuit hospitio.
Coniugis Evadne miseros elata per ignes
Occidit, Argivae fama pudicitiae.
Quarum nulla tuos potuit convertere mores,
Tu quoque uti fieres nobilis historia.
Desine iam revocare tuis periuria verbis,
Cynthia, et oblitos parce movere deos:
Audax, ah nimium nostro dolitura periclo,
Si quid forte tibi durius inciderit!
Multa prius vasto labentur flumina ponto,
Annus et inversas duxerit ante vices,
Quam tua sub nostro mutetur pectore cura;
Sis quodcumque voles, non aliena tamen;
Quam mihi ne viles isti videantur ocelli,
Per quos saepe mihi credita perfidia est!
Hos tu iurabas, si quid mentita fuisses,
Ut tibi suppositis exciderent manibus.
Et contra magnum potes hos attollere Solem?
Nec tremis admissae conscia nequitiae?
Quis te cogebat multos pallere colores,
Et fletum invitis ducere luminibus?
Quis ego nunc pereo, similes moniturus amantes:
O nullis tutum credere blanditiis!

XVI.

Quae fueram magnis olim patefacta triumphis,
Ianua Tarpeiae nota pudicitiae,

XV, vss. 15, 16 post 21, 22—29. Nulla. 33. Nam.

Cuius inaurati celebrarunt limina currus,
Captorum lacrimis humida supplicibus,
Nunc ego, nocturnis potorum saucia rixis,
Pulsata indignis saepe queror manibus;
Et mihi non desunt turpes pendere corollae
Semper, et exclusis signa facere faces.
Nec possum infamis dominae defendere noctes
Nobilis obscenis tradita carminibus; —
Nec tamen illa suae revocatur parcere famae,
Turpior et secli vivere luxuria!
Has inter gravibus cogor deflere querelis
Supplicis a longis tristior excubiis.
Ille meos numquam patitur requiescere postes,
Arguta referens carmina blanditia:
Ianua, vel domina penitus crudelior ipsa,
Quid mihi tam duris clausa taces foribus?
Cur numquam reserata meos admittis amores,
Nescia furtivas reddere mota preces?
Nullane finis erit nostro concessa dolori?
Tristis et in tepido limine somnus erit?
Me mediae noctes, me sidera prona iacentem,
Frigidaque Eoo me dolet aura gelu.
Tu sola humanos numquam miserata dolores
Respondes tacitis mutua cardinibus.
O utinam traiecta cava mea vocula rima,
Percussas dominae vertat in auriculas!
Sit licet et saxo patientior illa Sicano,
Sit licet et ferro durior et chalybe:
Non tamen illa suos poterit compescere ocellos,
Surget et invitis spiritus in lacrimis.
Nunc iacet alterius felici nixa lacerto;
At mea nocturno verba cadunt Zephyro.
Sed tu sola mei, tu maxima causa doloris,
Victa meis numquam, ianua, muneribus.
Te non ulla meae laesit petulantia linguae,

XVI, 8. exclusi.

Quae solet irato dicere turba loco,
Ut me tam longa raucum patiare querela
Sollicitas trivio pervigilare moras.
At tibi saepe novo deduxi carmina versu,
Osculaque impressis nixa dedi gradibus.
Ante tuos quotiens verti me, perfida, postes,
Debitaque occultis vota tuli manibus?
Haec ille, et si quae miseri novistis amantes,
Et matutinis obstrepit alitibus.
Sic ego nunc dominae vitiis et semper amantis
Fletibus aeterna differor invidia.

XVII.

Et merito, quoniam potui fugisse puellam!
Nunc ego desertas alloquor alcyonas.
Nec mihi Cassiope solito visura carinam est,
Omniaque ingrato litore vota cadunt.
Quin etiam absenti prosunt tibi, Cynthia, venti:
Aspice, quam saevas increpat aura minas.
Nullane placatae veniet fortuna procellae?
Haeccine parva meum funus arena teget?
Tu tamen in melius saevas converte querelas;
Sat tibi sit poenae nox et iniqua vada.
An poteris siccis mea fata opponere ocellis?
Ossaque nulla tuo nostra tenere sinu?
Ah pereat, quicumque rates et vela paravit
Primus et invito gurgite fecit iter.
Nonne fuit melius dominae pervincere mores, —
Quamvis dura, tamen rara puella fuit —
Quam sic ignotis circumdata litora silvis
Cernere et optatos quaerere Tyndaridas?
Illic si qua meum sepelissent fata dolorem,
Ultimus et posito staret amore lapis,
Illa meo caros donasset funere crines,
Molliter et tenera poneret ossa rosa:

Illa meum extremo clamasset pulvere nomen,
Ut mihi non ullo pondere terra foret.
At vos aequoreae formosa Doride natae,
Candida felici solvite vela choro!
Si quando vestras labens Amor attigit undas,
Mansuetis socio parcite litoribus!

XVIII.

Haec certe deserta loca et taciturna querenti,
Et vacuum Zephyri possidet aura nemus.
Hic licet occultos proferre impune dolores,
Si modo sola queant saxa tenere fidem.
Unde tuos primum repetam, mea Cynthia, fastus?
Quod mihi das flendi, Cynthia, principium?
Qui modo felices inter numerabar amantes,
Nunc in amore tuo cogor habere notam.
Quid tantum merui? quae te mihi carmina mutant?
An nova tristitiae causa puella tuae?
Sic mihi te referas levis, ut non altera nostro
Limine formosos intulit ulla pedes.
Quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet,
Non ita saeva tamen venerit ira mea,
Ut tibi sim merito semper furor, et tua flendo
Lumina deiectis turpia sint lacrimis.
An quia parva damus mutato signa calore,
Et non ulla meo clamat in ore fides?
Vos eritis testes, si quos habet arbor amores,
Fagus et Arcadio pinus amica deo.
Ah quotiens teneras resonant mea verba sub umbras,
Scribitur et vestris CYNTHIA corticibus!
An, tua quod peperit nobis iniuria curas,
Quae solum tacitis cognita sunt foribus?
Omnia consuevi timidus perferre superbae
Iussa, neque arguto facta dolore queri.

XVIII, 9. crimina.

Pro quo, divini Fontes, et frigida rupes
Et datur inculto tramite dura quies,
Et quodcumque meae possunt narrare querelae,
Cogor ad argutas dicere solus aves!
Sed qualiscumque es, resonent mihi CYNTHIA silvae,
Nec deserta tuo nomine saxa vacent.

XIX.

Non ego nunc tristes vereor, mea Cynthia, Manes,
Nec moror extremo debita fata rogo.
Sed ne forte tuo careat mihi funus amore,
Hic timor est ipsis durior exequiis.
Non adeo leviter nostris Puer haesit ocellis,
Ut meus oblito pulvis amore vacet.
Illic Phylacides iocundae coniugis heros
Non potuit caecis immemor esse locis;
Sed cupidus falsis attingere gaudia palmis
Thessalis antiquam venerat umbra domum.
Illic, quicquid ero, semper tua dicar imago:
Traiicit et fati litora magnus Amor.
Illic formosae veniant chorus heroïnae,
Quas dedit Argivis Dardana praeda viris:
Quarum nulla tua fuerit mihi, Cynthia, forma
Gratior; et Tellus hoc ita iusta sinat.
Quamvis te longae remorentur fata senectae,
Cara tamen lacrimis ossa futura meis:
Quae tu viva mea possis sentire favilla!
Tum mihi non ullo mors sit amara loco.
Quam vereor, ne te contempto, Cynthia, busto
Abstrahat a nostro pulvere iniquus Amor,
Cogat et invitam lacrimas siccare cadentes!
Flectitur assiduis certa puella minis.
Quare, dum licet, inter nos laetemur amantes:
Non satis est ullo tempore longus amor.

XX.

Hoc pro continuo te, Galle, monemus amore,
Id tibi ne vacuo defluat ex animo:
Saepe imprudenti fortuna occurrit amanti.
Crudelis Minyis dixerit Ascanius:
Est tibi non infra speciem, non nomine dispar
Thiodamanteo proximus ardor Hylae,
Hunc tu, sive leges umbrosae flumina silvae,
Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes,
Sive Gigantea spatiabere litoris ora,
Sive ubicumque vago fluminis hospitio,
Nympharum semper cupidis defende rapinis, —
Non minor Ausoniis est amor a Dryasin —
Ne tibi sit — durum! — montes et frigida saxa,
Galle, neque expertos semper adire lacus;
Quae miser ignotis error perpessus in oris
Herculis indomito fleverat Ascanio.
Namque ferunt olim Pagases navalibus Argo
Egressam longe Phasidos isse viam;
Et iam praeteritis labentem Athamantidos undis
Mysorum scopulis adplicuisse ratem.
Hic manus heroum, placidis ut constitit oris,
Mollia composita litora fronde tegit.
At comes invicti iuvenis processerat ultra
Raram sepositi quaerere fontis aquam.
Hunc duo sectati fratres, Aquilonia proles,
Hunc super et Zetes, hunc super et Calais,
Oscula suspensis instabant carpere palmis,
Oscula et alterna ferre supina fuga.
Ille sub extrema pendens secluditur ala,
Et volucres ramo submovet insidias.
Iam Pandioniae cessit genus Orithyiae:
Ah dolor! ibat Hylas, ibat Hamadryasin.
Hic erat Arganthi, Pegae, sub vertice montis

XX, 12: *adriacis.* 32. *hamadrias hinc.*

Grata domus Nymphis humida Thyniasin,
Quam supra nullae pendebant debita curae
Roscida desertis poma sub arboribus,
Et circum irriguo surgebant lilia prato
Candida purpureis mixta papaveribus.
Quae modo decerpens tenero pueriliter ungui
Proposito florem praetulit officio;
Et modo formosis incumbens nescius undis
Errorem blandis tardat imaginibus.
Tandem haurire parat demissis flumina palmis
Innixus dextro plena trahens humero.
Cuius ut accensae Dryades candore puellae
Miratae solitos destituere choros;
Prolapsum leviter facili traxere liquore:
* Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.
Cui procul Alcides iterat responsa: sed illi
Nomen ab extremis fontibus aura refert.
His, o Galle, tuos monitus servabis amores
Formosum Nymphis credere visus Hylan.

XXI.

Tu, qui consortem properas evadere casum,
Miles, ab Etruscis saucius aggeribus,
Quid nostro gemitu turgentia lumina torques?
Pars ego sum vestrae proxima militiae.
Sic te servato possint gaudere parentes,
Haec soror acta tuis sentiat e lacrimis:
Gallum per medios ereptum Caesaris enses
Effugere ignotas non potuisse manus,
Et quaecumque super dispersa invenerit ossa
Montibus Etruscis, haec sciat esse mea.

XXII.

Qualis, et unde genus, qui sint mihi, Tulle, Penates,
Quaeris pro nostra semper amicitia.

Si Perusina tibi patriae sunt nota sepulcra,
  Italiae duris funera temporibus,
Cum Romana suos egit discordia cives, —
  Sit mihi praecipue, pulvis Etrusca, dolor:
Tu proiecta mei perpessa es membra propinqui,
  Tu nullo miseri contegis ossa solo, —
Proxima subposito contingens Umbria campo
  Me genuit, terris fertilis uberibus.

SEX. AURELII PROPERTII
ELEGIARUM
LIBER SECUNDUS.

I.

Quaeritis, unde mihi totiens scribantur amores,
Unde meus veniat mollis in ore liber.
Non haec Calliope, non haec mihi cantat Apollo:
Ingenium nobis ipsa puella facit.
Sive illam Cois fulgentem incedere coccis,
Hoc totum e Coa veste volumen erit;
Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos,
Gaudet laudatis ire superba comis;
Sive lyrae carmen digitis percurrit eburnis,
Miramur, faciles ut premat arte manus;
Seu cum poscentes somnum declinat ocellos,
Invenio causas mille poeta novas;
Seu nuda erepto mecum luctatur amictu,
Tum vero longas condimus Iliadas;
Seu quicquid fecit, sive est quodcumque locuta,
Maxima de nihilo nascitur historia.
Quod mihi si tantum, Maecenas, fata dedissent,
Ut possem heroas ducere in arma manus,
Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo
Impositum, ut caeli Pelion esset iter;

I, 5: *cogis.* verus ordo vss. 7, 8, 5, 6.

Non veteres Thebas, nec Pergama, nomen Homeri,
Xerxis et imperio bina coisse vada;
Regnave prima Remi, aut animos Carthaginis altae,
Cimbrorumque minas, et benefacta Mari;
Bellaque, resque tui memorarem Caesaris, et tu
Caesare sub magno cura secunda fores.
Nam quotiens Mutinam, aut, civilia busta, Philippos,
Aut canerem Siculae classica bella fugae,
Eversosque focos antiquae gentis Etruscae,
Aut Ptolemaëae litora capta Phari,
Aut canerem Aegyptum et Nilum, cum tractus in urbem
Septem captivis debilis ibat aquis,
Aut regum auratis circumdata colla catenis,
Actiaque in Sacra currere rostra Via;
Te mea Musa illis semper contexeret armis,
Et sumpta et posita pace fidele caput.
Theseus infernis, superis testatur Achilles,
Hic Ixioniden, ille Menoetiaden.
Sed neque Phlegraeos Iovis Enceladique tumultus
Intonet angusto pectore Callimachus;
Nec mea conveniunt duro praecordia versu
Caesaris in Phrygios condere nomen avos.
Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves.
Nos contra angusto versantes proelia lecto:
Qua pote quisque, in ea conterat arte diem.
Laus in amore mori; laus altera, si datur uno
Posse frui. Fruar o solus amore meo!
Si memini, solet illa leves culpare puellas,
Et totam ex Helena non probat Iliada.
Seu mihi sint tangenda novercae pocula Phaedrae,
Pocula privigno non nocitura suo,
Seu mihi Circaeo pereundum est gramine, sive
Colchis Colchiacis urat aëna focis:
Una meos quoniam praedata est femina sensus,
Ex hac ducentur funera nostra domo.

Omnes humanos sanat medicina dolores:
Solus amor morbi non amat artificem.
Tarda Philoctetae sanavit crura Machaon,
Phoenicis Chiron lumina Phillyrides;
Et deus extinctum Cressis Epidaurius herbis
Restituit patriis Androgeona focis;
Mysus et Haemonia iuvenis qua cuspide volnus
Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.
Hoc si quis vitium poterit mihi demere, solus
Tantalea poterit tradere poma manu.
Dolia virgineis idem ille repleverit urnis,
Ne tenera assidua colla graventur aqua.
Idem Caucasia solvet de rupe Promethei
Brachia, et a medio pectore pellet avem.
Quandocumque igitur vitam mea fata reposcent,
Et breve in exiguo marmore nomen ero,
Maecenas, nostrae pars invidiosa iuventae,
Et vitae et morti gloria iusta meae,
Si te forte meo ducet via proxima busto,
Esseda caelatis siste Britanna iugis,
Taliaque illacrimans mutae iace verba favillae:
Huic misero fatum dura puella fuit.

II.

Liber eram, et vacuo meditabar vivere lecto;
At me composita pace fefellit Amor.
Cur haec in terris facies humana moratur?
Iuppiter, ignoro pristina furta tua.
Fulva coma est, longaeque manus, et maxima toto
Corpore, et incedit vel Iove digna soror,
Aut cum Dulichias Pallas spatiatur ad aras,
Gorgonis anguiferae pectus operta comis.
Qualis et Ischomache, Lapithae genus heroïnae,
Centauris medio grata rapina mero,

Mercurio Saïtis fertur Boebeïdos undis
  Virgineum primo composuisse latus.
Cedite iam, divae, quas pastor viderat olim
  Idaeis tunicas ponere verticibus.
Hanc utinam faciem nolit mutare senectus,
  Etsi Cumaeae secula vatis aget.

III.

Qui nullum tibi dicebas iam posse nocere,
  Haesisti: cecidit spiritus ille tuus.
Vix unum potes, infelix, requiescere mensem,
  Et turpis de te iam liber alter erit.
Quaerebam, sicca si posset piscis arena,
  Nec solitus ponto vivere torvus aper,
Aut ego si possem studiis vigilare severis:
  Differtur, numquam tollitur ullus amor.
Nec me tam facies, quamvis sit candida, cepit, —
  Lilia non domina sint magis alba mea:
Ut Maeotica nix minio si certet Hibero,
  Utque rosae puro lacte natant folia; —
Nec de more comae per levia colla fluentes,
  Non oculi, geminae, sidera nostra, faces;
Nec si qua Arabio lucet bombyce puella, —
  Non sum de nihilo blandus amator ego, —
Quantum quod posito formose saltat Iaccho,
  Egit et euantes dux Ariadna choros,
Et quantum, Aeolio cum tentat carmina plectro,
  Par Aganippeae ludere docta lyrae,
Et sua cum antiquae committit scripta Corinnae,
  Carminaque Erinnes non putat aequa suis.
Num tibi nascenti primis, mea vita, diebus
  Candidus argutum sternuit omen Amor?

II, 11. *satis* vel *sais.*
III, 1. nullam. v. 22. *Carmina quae lyrnes* vel *quivis.* v. 24. *Ardidus* vel *Arduus.*

Haec tibi contulerunt caelestia munera divi;
Haec tibi ne matrem forte dedisse putes.
Non, non humani sunt partus talia dona;
Ista decem menses non peperere bona.
Gloria Romanis una es tu nata puellis;
Romana accumbes prima puella Iovi.
Nec semper nobiscum humana cubilia vises;
Post Helenam haec terris forma secunda redit.
Hac ego nunc mirer, si flagret nostra iuventus?
Pulchrius hac fuerat, Troia, perire tibi.
Olim mirabar, quod tanti ad Pergama belli
Europae atque Asiae causa puella fuit:
Nunc, Pari, tu sapiens, et tu, Menelae, fuisti,
Tu, quia poscebas, tu, quia lentus eras.
Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles;
Vel Priamo belli causa probanda fuit.
Si quis vult fama tabulas anteire vetustas,
Hic dominam exemplo ponat in ante meam.
Sive illam Hesperiis, sive illam ostendet Eois,
Uret et Eoos, uret et Hesperios.

IV. [III, 45—54. et IV.]

His saltem ut tenear iam finibus; aut mihi siquis,
Acrius ut moriar, venerit alter amor!
Ac veluti primo taurus detrectat aratra,
Post venit assueto mollis ad arva iugo,
Sic primo iuvenes trepidant in amore feroces,
Dehinc domiti post haec aequa et iniqua ferunt.
Turpia perpessus vates est vincla Melampus,
Cognitus Iphicli subripuisse boves;
Quem non lucra, magis Pero formosa coegit,
Mox Amythaonia nupta futura domo.
Multa prius dominae delicta queraris oportet,
Saepe roges aliquid, saepe repulsus eas,

IV, v. 1. ah, mihi.

Et saepe immeritos corrumpas dentibus ungues,
  Et crepitum dubio suscitet ira pede.
Nequicquam perfusa meis unguenta capillis,
  Ibat et expenso planta morata gradu.
Non hic herba valet, non hic nocturna Cytaeis,
  Non Perimedeae gramina cocta manus.
Quippe ubi nec causas nec apertos cernimus ictus,
  Unde tamen veniant tot mala, caeca via est.
Non eget hic medicis, non lectis mollibus aeger;
  Huic nullum caeli tempus et aura nocet.
Ambulat, et subito mirantur funus amici:
  Sic est incautum, quicquid habetur amor.
Nam cui non ego sum fallaci praemia vati?
  Quae mea non decies somnia versat anus?
Hostis si quis erit nobis, amet ille puellas;
  Gaudeat in puero, si quis amicus erit.
Tranquillo tuta descendis flumine cymba:
  Quid tibi tam parvi litoris unda nocet?
Alter saepe uno mutat praecordia verbo,
  Altera vix ipso sanguine mollis erit.

V.

Hoc verum est, tota te ferri, Cynthia, Roma,
  Et non ignota vivere nequitia?
Haec merui sperare? dabis mihi, perfida, poenas;
  Et nobis Aquilo, Cynthia, ventus erit.
Inveniam tamen e multis fallacibus unam,
  Quae fieri nostro carmine nota velit,
Nec mihi tam duris insultet moribus, et te
  Vellicet. Heu sero flebis amata diu!
Nunc est ira recens, nunc est discedere tempus:
  Si dolor abfuerit, crede, redibit amor.
Non ita Carpathiae variant Aquilonibus undae,

IV, 18: *per Medeae.* V, 4. aliquo.

Nec dubio nubes vertitur atra Noto,
Quam facile irati verbo mutantur amantes:
Dum licet, iniusto subtrahe colla iugo.
Nec tu non aliquid, sed prima nocte dolebis:
Omne in amore malum, si patiare, leve est.
At tu, per dominae Iunonis dulcia iura,
Parce tuis animis, vita, nocere tibi.
Non solum taurus ferit uncis cornibus hostem,
Verum etiam instanti laesa repugnat ovis.
Nec tibi periuro scindam de corpore vestem,
Nec mea praeclusas fregerit ira fores;
Nec tibi connexos iratus carpere crines,
Nec duris ausim laedere pollicibus.
Rusticus haec aliquis tam turpia praelia quaerat,
Cuius non hederae circuiere caput.
Scribam igitur, quod non umquam tua deleat aetas:
CYNTHIA FORMA POTENS, CYNTHIA VERBA LEVIS.
Crede mihi, quamvis contemnas murmura famae,
Hic tibi pallori, Cynthia, versus erit.

VI.

Non ita complebant Ephyreae Laïdos aedes,
Ad cuius iacuit Graecia tota fores,
Turba Menandreae fuerat nec Thaïdos olim
Tanta, in qua populus lusit Erichthonius,
Nec quae deletas potuit componere Thebas
Phryne, tam multis facta beata viris.
Quin etiam falsos fingis tibi saepe propinquos,
Oscula ne desint qui tibi iure ferant.
Me iuvenum pictae facies, me nomina laedunt,
Me tener in cunis et sine voce puer;
Me laedit, si multa tibi dedit oscula mater,
Me soror, et cum qua dormit amica simul.

VI, 12. cum quae.

Omnia me laedunt; — timidus sum; ignosce timori; —
Et miser in tunica suspicor esse virum.
His olim, ut fama est, vitiis ad praelia ventum est,
His Troiana vides funera principiis.
Aspera Centauros eadem dementia iussit
Frangere in adversum pocula Pirithoum.
Cur exempla petam Graium? tu criminis auctor,
Nutritus duro, Romule, lacte lupae,
Tu rapere intactas docuisti impune Sabinas;
Per te nunc Romae quidlibet audet Amor.
Felix Admeti coniunx et lectus Ulixis,
Et quaecumque viri femina limen amat.

*

Templa Pudicitiae quid opus statuisse puellis,
Si cuivis nuptae quidlibet esse licet?

*

Quae manus obscenas depinxit prima tabellas,
Et posuit casta turpia visa domo,
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiaeque suae noluit esse rudes.
Ah gemat, in terris ista qui protulit arte
Iurgia sub tacita condita laetitia.
Non istis olim variabant tecta figuris.
Tum paries nullo crimine pictus erat.

*

Sed non immerito velavit aranea fanum,
Et mala desertos occupat herba Deos.

*

Quos igitur tibi custodes, quae limina ponam,
Quae numquam supra pes inimicus eat?
Nam nihil invitae tristis custodia prodest:
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.

*

VI, 26. cuilibet.

Nos uxor numquam, numquam me ducet amica:
Semper amica mihi, semper et uxor eris.

VII.

Gavisa est certe sublatam, Cynthia, legem,
Qua quondam edicta flemus uterque diu,
Ni nos divideret; quamvis diducere amantes
Non queat invitos Iuppiter ipse duos.
At magnus Caesar; — sed magnus Caesar in armis:
Devictae gentes nil in amore valent.
Nam citius paterer caput hoc discedere collo,
Quam possem nuptae perdere amore faces.
Anne ego transirem tua limina clausa maritus,
Respiciens udis prodita luminibus?
Ah mea tum qualis caneret tibi, Cynthia, somnos
Tibia, funesta tristior illa tuba!

*

Unde mihi patriis gnatos praebere triumphis?
Nullus de nostro sanguine miles erit.
Quod si vera meae comitarer castra puellae,
Non mihi sat magnus Castoris iret equus.
Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen,
Gloria ad hibernos lata Borysthenidas.
Tu mihi sola places: placeam tibi, Cynthia, solus:
Hic erit et patrio sanguine pluris amor.

VIII.

Eripitur nobis iam pridem cara puella;
Et tu me lacrimas fundere, amice, vetas!
Nullae sunt inimicitiae, nisi amoris, acerbae;
Ipsum me iugula, lenior hostis ero.
Possum ego in alterius positam spectare lacerto?
Nec mea dicetur, quae modo dicta mea est?

*

VII, 1: es.

Omnia vertuntur; certe vertuntur amores:
Vinceris, aut vincis; haec in amore rota est.
Magni saepe duces, magni cecidere tyranni,
Et Thebae steterant, altaque Troia fuit.
Munera quanta dedi, vel qualia carmina feci!
Illa tamen numquam ferrea dixit: Amo.

*

Ergo iam multos nimium temerarius annos,
Improba, qui tulerim teque tuamque domum,

*

Ecquandone tibi liber sum visus? an usque
In nostrum iacies verba superba caput?

*

Sic igitur prima moriere aetate, Properti?
Sed morere; interitu gaudeat illa tuo.
Exagitet nostros Manes, sectetur et umbras,
Insultetque rogis, calcet et ossa mea.
Quid? non Antigones tumulo Boeotius Haemon
Corruit ipse suo saucius ense latus,
Et sua cum miserae permiscuit ossa puellae,
Qua sine Thebanam noluit ire domum?
Sed non effugies: mecum moriaris oportet;
Hoc eodem ferro stillet uterque cruor.
Quamvis ista mihi mors est inhonesta futura;
Mors inhonesta quidem; tu moriere tamen.
Ille etiam abrepta desertus coniuge Achilles
Cessare in tectis pertulit arma sua.
Viderat ille fugas, tractos in litore Achivos,
Fervere et Hectorea Dorica castra face;
Viderat informem multa Patroclon arena
Porrectum et sparsas caede iacere comas;
Omnia formosam propter Briseïda passus:
Tantus in erepto saevit amore dolor.

VIII, 10. steterunt.

At postquam sera captiva est reddita poena,
Fortem illum Haemoniis Hectora traxit equis.
Inferior multo cum sim vel matre vel armis,
Mirum, si de me iure triumphat Amor?

IX.

Iste quod est, ego saepe fui; sed fors et in hora
Hoc ipso eiecto carior alter erit.
Penelope poterat bis denos salva per annos
Vivere, tam multis femina digna procis;
Coniugium falsa poterat differre Minerva,
Nocturno solvens texta diurna dolo,
Visura et quamvis numquam speraret Ulixem,
Illum expectando facta remansit anus.
Nec non exanimem amplectens Briseïs Achillem
Candida vesana verberat ora manu,
Et dominum lavit maerens captiva cruentum,
Appositum fluviis in Simoënta vadis;
Foedavitque comas, et tant corpus Achilli
Maximaque in parva sustulit ossa manu,
Cum tibi nec Peleus aderat nec caerula mater,
Scyria nec viduo Deidamia viro.
Tunc igitur veris gaudebat Graecia natis;
Tunc etiam felix inter et arma pudor.
At tu non una potuisti nocte vacare,
Impia, non unum sola manere diem!
Quin etiam multo duxistis pocula risu,
Forsitan et de me verba fuere mala.
Hic etiam petitur, qui te prius ante reliquit; —
Di faciant, isto capta fruare viro!
Haec mihi vota tuam propter suscepta salutem,
Cum capite hoc Stygiae iam poterentur aquae,
Et lectum flentes circum staremus amici?

VIII, 39: *marte*. IX, 12: flavis.

Hic ubi tum, pro di, perfida, quisve fuit?
Quid, si longinquos retinerer miles ad Indos?
Aut mea si staret navis in Oceano?
Sed vobis facile est, verba et componere fraudes:
Hoc unum didicit femina semper opus.
Non sic incerto mutantur flamine Syrtes,
Nec folia hiberno tam tremefacta Noto,
Quam cito feminea non constat foedus in ira,
Sive ea causa gravis, sive ea causa levis.
Nunc, quoniam ista tibi placuit sententia, cedam:
Tela, precor, Pueri, promite acuta magis!
Figite certantes, atque hanc mihi solvite vitam:
Sanguis erit vobis maxima palma meus.

*

Sidera sunt testes, et matutina pruina,
Et furtim misero ianua aperta mihi:
Te nihil in vita nobis acceptius umquam;
Nunc quoque eris, quamvis sis inimica mihi;
Nec domina ulla meo ponet vestigia lecto:
Solus ero, quoniam non licet esse tuum.
Atque utinam, si forte pios eduximus annos,
Ille vir in medio fiat amore lapis!

*

Non ob regna magis diris cecidere sub armis
Thebani media non sine matre duces,
Quam, mihi si media liceat pugnare puella,
Mortem ego non fugiam morte subire tua.

SEX. AURELII PROPERTII
ELEGIARUM
LIBER TERTIUS.
[SECUNDUS X—XXXIV.]

I. [X.]

* * *

Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis,
Et campum Haemonio iam dare tempus equo.
Iam libet et fortes memorare ad praelia turmas,
Et Romana mei dicere castra ducis.
Quod si deficiant vires, audacia certe
Laus erit: in magnis et voluisse sat est;
Aetas prima canat Veneres, extrema tumultus.
Bella canam, quando scripta puella mea est.
Nunc volo subducto gravior procedere vultu:
Nunc aliam citharam me mea Musa docet.
Surge, anima, ex humili: iam carmine sumite vires,
Pierides: magni nunc erit oris opus.
Iam negat Euphrates equitem post terga tueri
Parthorum, et Crassos se tenuisse dolet;
India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho,
Et domus intactae te tremit Arabiae;
Et, si qua extremis tellus se subtrahit oris,
Sentiet illa tuas postmodo capta manus.

Haec ego castra sequar; vates tua castra canendo
   Magnus ero; servent hunc mihi fata diem!
Ut caput in magnis ubi non est tangere signis,
   Ponitur hic imos ante corona pedes,
Sic nos nunc, inopes laudis conscendere carmen,
   Pauperibus sacris vilia tura damus.
Nondum etiam Ascraeos norunt mea carmina fontes,
   Sed modo Permessi flumine lavit Amor.

*

II. [XI.]

*   *
*

Scribant de te alii, vel sis ignota licebit;
   Laudet, qui sterili semina ponit humo.
Omnia, crede mihi, secum uno munera lecto
   Auferet extremi funeris atra dies.
Et tua transibit contemnens ossa viator,
   Nec dicet: Cinis hic docta puella fuit.

*

III. [XII.]

Quicumque ille fuit, puerum qui pinxit Amorem,
   Nonne putas miras hunc habuisse manus?
Hic primum vidit, sine sensu vivere amantes,
   Et levibus curis magna perire bona.
Idem non frustra ventosas addidit alas,
   Fecit et humano corde volare deum;
Scilicet alterna quoniam iactamur in unda,
   Nostraque non ullis permanet aura locis.
Et merito hamatis manus est armata sagittis,
   Et pharetra ex humero Gnosia utroque iacet;

III, 10. iacit.

Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem,
  Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.
In me tela manent, manet et puerilis imago;
  Sed certe pennas perdidit ille suas:
Evolat e nostro quoniam de pectore nusquam,
  Assiduusque meo sanguine bella gerit.
Quid tibi iocundum siccis habitare medullis?
  Si pudor est, alio traiice tela tua.
Intactos isto satius tentare veneno:
  Non ego, sed tenuis vapulat umbra mea;
Quam si perdideris, quis erit qui talia cantet?
  Haec mea Musa levis gloria magna tua est,
Quae caput et digitos et luminā nigra puellae,
  Et canit, ut soleant molliter ire pedes.

IV. [XIII.]

Non tot Achaemeniis armantur Susa sagittis,
  Spicula quot nostro pectore fixit Amor.
Hic me tam graciles vetuit contemnere Musas,
  Iussit et Ascraeum sic habitare nemus;
Non ut Pieriae quercus mea verba sequantur,
  Aut possim Ismaria ducere valle feras,
Sed magis ut nostro stupefiat Cynthia versu:
  Tunc ego sim Inachio notior arte Lino.
Non ego sum formae tantum mirator honestae,
  Nec si qua illustres femina iactat avos;
Me iuvet in gremio doctae legisse puellae,
  Auribus et puris scripta probasse mea.
Haec ubi contigerint, populi confusa valeto
  Fabula; nam domina iudice tutus ero.
Quae si forte bonas ad pacem verterit aures,
  Possum inimicitias tunc ego ferre Iovis.

III, 15. heu. IV, 1. *etrusca*.

V. [XIII, 17—58.]

Quandocumque igitur nostros nox claudet ocellos,
Accipe quae serves funeris acta mei;
Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa,
Nec tuba sit fati vana querela mei.
Nec mihi tunc fulcro sternatur lectus eburno,
Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.
Desit odoriferis ordo mihi lancibus; adsint
Plebei parvae funeris exequiae.
Sat mea sat magna est, si tres sint pompa libelli,
Quos ego Persephonae maxima dona feram.
Tu vero nudum pectus lacerata sequeris,
Nec fueris nomen lassa vocare meum,
Osculaque in gelidis pones suprema labellis,
Cum dabitur Syrio munere plenus onyx.
Deinde, ubi suppositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat Manes parvula testa meos,
Et sit in exiguo laurus superaddita busto,
Quae tegat extincti funeris umbra locum.
Et duo sint versus: QUI NUNC IACET ARIDA PULVIS,
UNIUS HIC QUONDAM SERVUS AMORIS ERAT.
Nec minus haec nostri notescet fama sepulcri,
Quam fuerant Phthii busta cruenta viri.
Tu quoque, si quando venies ad fata, memento
Hoc iter; ad lapides cana veni memores.
Interea cave sis nos aspernata sepultos:
Nonnihil ad verum conscia terra sapit.
Atque utinam primis animam me ponere cunis
Iussisset quaevis de tribus una soror!
Nam quo tam dubiae servetur spiritus horae?
Nestoris est visus post tria secla cinis, —
Quis tam longaevae minuisset fata senectae
Gallicus Iliacis miles in aggeribus? —

V, 9. *Sat mea sit magna si.* 32. Ilius.

Non ille Antilochi vidisset corpus humari,
Diceret aut: O mors, cur mihi sera venis?
Tu tamen amisso non numquam flebis amico:
Fas est praeteritos semper amare viros.
Testis, qui niveum quondam percussit Adonin
Venantem Idalio vertice durus aper.
Illis formosum iacuisse paludibus illuc
Diceris effusa tu, Venus, isse coma.
Sed frustra mutos revocabis, Cynthia, Manes:
Nam mea quid poterunt ossa minuta loqui?

VI. [XIV.]

Non ita Dardanio gavisus Atrida triumpho est,
Cum caderent magnae Laomedontis opes;
Non sic errore exacto laetatus Ulixes,
Cum tetigit carae litora Dulichiae,
Nec sic Electra, salvum cum vidit Oresten,
Cuius falsa tenens fleverat ossa soror,
Nec sic incolumem Minoïs Thesea vidit,
Daedaleum lino cum duce rexit iter,
Quanta ego praeterita collegi gaudia nocte:
Immortalis ero, si altera talis erit.
At dum demissis supplex cervicibus ibam,
Dicebar sicco vilior esse lacu.
Nec mihi iam fastus opponere quaerit iniquos,
Nec mihi ploranti lenta sedere potest.
Atque utinam non tam sero mihi nota fuisset
Conditio! cineri nunc medicina datur.
Ante pedes caecis lucebat semita nobis;
Scilicet insano nemo in amore videt.
Hoc sensi prodesse magis: Contemnite, amantes;
Sic hodie veniet, si qua negavit heri.
Pulsabant alii frustra dominamque vocabant;
Mecum habuit positum lenta puella caput.

V, 37. cui.

Haec mihi devictis potior victoria Parthis,
Haec spolia, haec reges, haec mihi currus erunt.
Magna ego dona tua figam, Cytherea, columna,
Taleque sub nostro nomine carmen erit:
HAS PONO ANTE TUAS TIBI, DIVA, PROPERTIUS AEDES
EXUVIAS, TOTA NOCTE RECEPTUS AMANS.
Nunc ad te, mea lux, veniat mea litore navis
Servata; an mediis sistat onusta vadis?
Quod si forte aliqua nobis mutabere culpa,
Vestibulum iaceam mortuus ante tuum.

VII. [XV.]

O me felicem! o nox mihi candida! et o tu
Lectule, deliciis facte beate meis!
Quam multa apposita narramus verba lucerna,
Quantaque sublato lumine rixa fuit!
Nam modo nudatis mecum est luctata papillis,
Interdum tunica duxit operta moram.
Illa meos somno lapsos patefecit ocellos
Ore suo, et dixit: Siccine, lente, iaces?
Quam vario amplexu mutamus brachia! quantum
Oscula sunt labris nostra morata tuis!
Non iuvat in caeco Venerem corrumpere motu:
Si nescis, oculi sunt in amore duces.
Ipse Paris nuda fertur periisse Lacaena,
Cum Menelaëo surgeret e thalamo;
Nudus et Endymion Phoebi cepisse sororem
Dicitur et nudae concubuisse deae.
Quod si pertendens animo vestita cubaris,
Scissa veste meas experiere manus;
Quin etiam, si me ulterius provexerit ira,
Ostendes matri brachia laesa tuae.
Necdum inclinatae prohibent te ludere mammae;

VI, 27. TUAM — AEDEM.

Viderit haec, si quam iam peperisse pudet.
Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore:
Nox tibi longa venit, nec reditura dies.
Atque utinam haerentes sic nos vincire catena
Velles, ut numquam solveret ulla dies!
Exemplo iunctae tibi sint in amore columbae,
Masculus et totum femina coniugium.
Errat, qui finem vesani quaerit amoris:
Verus amor nullum novit habere modum.
Terra prius falso partu deludet arantes,
Et citius nigros Sol agitabit equos,
Fluminaque ad caput incipient revocare liquores,
Aridus et sicco gurgite piscis erit,
Quam possim nostros alio transferre dolores:
Huius ero vivus, mortuus huius ero.
Quod mihi si secum tales concedere noctes
Illa velit, vitae longus et annus erit;
Si dabit haec multas, fiam immortalis in illis:
Nocte una quivis vel deus esse potest.
Qualem si cuncti cuperent deducere vitam,
Et pressi multo membra iacere mero,
Non ferrum crudele esset neque bellica navis,
Nec nostra Actiacum verteret ossa mare,
Nec totiens propriis circum oppugnata triumphis
Lassa foret crines solvere Roma suos.
Haec certe merito poterunt laudare minores:
Laeserunt nullos pocula nostra deos.
Tu modo, dum lucet, fructum ne desere vitae:
Omnia si dederis oscula, pauca dabis.
Ac veluti folia arentes liquere corollas,
Quae passim calathis strata natare vides,
Sic nobis, qui nunc magnum speramus amantes,
Forsitan includet crastina fata dies.

VII 35: calores.

VIII. [XVI.]

Praetor ab Illyricis venit modo, Cynthia, terris,
Maxima praeda tibi, maxima cura mihi.
Non potuit saxo vitam posuisse Ceranno?
Ah, Neptune, tibi qualia dona darem!
Nunc sine me plena fiunt convivia mensa,
Nunc sine me tota ianua nocte patet.
Quare, si sapis, oblatas ne desere messes,
Et stolidum pleno vellere carpe pecus.
Deinde, ubi consumpto restabit munere pauper,
Dic alias iterum naviget Illyrias.
Cynthia non sequitur fasces, nec curat honores;
Semper amatorum ponderat illa sinus.
At tu nunc nostro, Venus, ô, succurre dolori,
Rumpat ut assiduis membra libidinibus.
Ergo muneribus quivis mercatur amorem?
Iuppiter, indigna merce puella perit.
Semper in Oceanum mittit me quaerere gemmas,
Et iubet ex ipsa tollere dona Tyro.
Atque utinam Romae nemo esset dives, et ipse
Straminea posset dux habitare casa!
Numquam venales essent ad munus amicae,
Atque una fieret cana puella domo.
Non, quia septenas noctes seiuncta cubaris, —
Candida tam foedo brachia fusa viro! —
Non quia peccaris, testor te, sed quia — vulgo
Formosis levitas semper amica fuit, —
Barbarus excussis agitat vestigia lumbis,
Et subito felix nunc mea regna tenet.
Aspice quid donis Eriphyla invenit amaris,
Arserit et quantis nupta Creusa malis.
Nullane sedabit nostros iniuria fletus?
An dolor hic vitiis nescit abesse tuis?
Tot iam abiere dies, cum me nec cura theatri,
Nec tetigit Campi, nec mea Musa iuvat.

At pudeat certe, pudeat! Nisi forte, quod aiunt,
Turpis amor surdis auribus esse solet.
Cerne ducem, modo qui fremitu complevit inani
Actia damnatis aequora militibus.
Hunc infamis amor versis dare terga carinis
Iussit, et extremo quaerere in orbe fugam.
Caesaris haec virtus et gloria Caesaris haec est:
Illa, qua vicit, condidit arma manu.
Sed quascumque tibi vestes, quoscumque smaragdos,
Quosve dedit flavo lumine chrysolithos,
Haec videam rapidas in vanum ferre procellas,
Quae tibi terra, velim, quae tibi fiet aqua.
Non semper placidus periuros ridet amantes
Iuppiter, et surda negligit aure preces.
Vidistis toto sonitus percurrere coelo?
Fulminaque aetheria desiluisse domo?
Non haec Pleïades faciunt, neque aquosus Orion,
Nec sic de nihilo fulminis ira cadit:
Periuras tunc ille solet punire puellas,
Deceptus quoniam flevit et ipse deus.
Quare ne tibi sit tanti Sidonia vestis,
Ut timeas, quotiens nubilus Auster erit.

IX. [XVII.]

Mentiri noctem, promissis ducere amantem,
Hoc erit infectas sanguine habere manus.
Horum ego sum vates. Quotiens desertus amaras
Explevi noctes, fractus utroque toro!
Vel tu Tantalea moveare ad flumina sorte,
Ut liquor arenti fallat ab ore sitim;
Vel tu Sisyphios licet admirere labores,
Difficile ut toto monte volutet onus:
Durius in terris nihil est, quod vivat, amante,

VIII, 46: fiat.

Nec, modo si sapias, quod minus esse velis.
Quem modo felicem, invidia admirante, ferebant,
Nunc decimo admittor vix ego quoque die.
Nunc iacere e duro corpus iuvat, impia, saxo,
Sumere et in nostras tetra venena manus.
Nec licet in triviis sicca requiescere luna,
Aut per rimosas mittere verba fores.
Quod quamvis ita sit, dominam mutare cavebo.
Tum flebit, cum in me senserit esse fidem.

X. [XVIII.]

Assiduae multis odium peperere querelae:
Frangitur in tacito femina saepe viro.
Si quid vidisti, semper vidisse negato;
Aut si quid doluit forte, dolere nega.
Quid si iam canis aetas mea candeat annis?
Et faciat scissas languida ruga genas?
At non Tithoni spernens Aurora senectam
Desertum Eoa passa iacere domo est.
Illum saepe suis decedens fovit in undis,
Quam prius adiunctos sedula lavit equos.
Illum ad vicinos cum amplexa quiesceret Indos,
Maturos iterum est questa redire dies.
Illa deos currum conscendens dixit iniquos,
Invitum et terris praestitit officium;
Cui maiora senis Tithoni gaudia vivi,
Quam gravis amisso Memnone luctus erat.
Cum sene non puduit talem dormire puellam,
Et canae totiens oscula ferre comae.
At tu etiam iuvenem odisti me, perfida, cum sis
Ipsa anus haud longa curva futura die.
Quin ego deminuo curam, quod saepe Cupido
Huic malus esse solet, cui bonus ante fuit.

XI. [XVIII, 23—38.]

Nunc etiam infectos demens imitare Britannos,
  Ludis et externo tincta nitore caput?
Ut natura dedit, sic omnis recta figura est:
  Turpis Romano Belgicus ore color.
Illi sub terris fiant mala multa puellae,
  Quae mentita suas vertit inepta comas!
De me, mi certe poteris formosa videri,
  Mi formosa satis, si modo saepe venis.
An si caeruleo quaedam sua tempora fuco
  Tinxerit, idcirco caerula forma bona est?

*

Cum tibi nec frater nec sit tibi filius ullus,
  Frater ego et tibi sim filius unus ego.
Ipse tuus semper tibi sit custodia lectus,
  Nec nimis ornata fronte sedere velis.
Credam ego narranti, noli committere, famae:
  Et terram rumor transilit et maria.

XII. [XIX.]

Etsi me invito discedis, Cynthia, Roma,
  Laetor, quod, sine me, devia rura colis.
Nullus erit castis iuvenis corruptor in agris,
  Qui te blanditiis non sinat esse probam;
Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras,
  Nec tibi clamatae somnus amarus erit:
Sola eris, et solos spectabis, Cynthia, montes,
  Et pecus et fines pauperis agricolae.
Illic te nulli poterunt corrumpere ludi,
  Fanaque peccatis plurima causa tuis.
Illic assidue tauros spectabis arantes,
  Et vitem docta ponere falce comas;

XI: Versus 9 et 10 post 1 et 2 repone.

Atque ibi rara feres inculto tura sacello,
Haedus ubi agrestis corruet ante focos;
Protinus et nuda choreas imitabere sura;
Omnia ab externo sint modo tuta viro!
Ipse ego venabor. Iam nunc me sacra Dianae
Suscipere et Veneri ponere vota iuvat.
Incipiam captare feras, et reddere pinu
Cornua et audaces ipse monere canes.
Non tamen, ut vastos ausim temptare leones,
Aut celer agrestes cominus ire sues:
Haec igitur mihi sit lepores audacia molles
Excipere et stricto figere avem calamo,
Qua formosa suo Clitumnus flumina luco
Integit, et niveos abluit unda boves.
Tu quotiens aliquid conabere, vita, memento
Venturum paucis me tibi Luciferis.
Sic me nec solae poterunt avertere silvae,
Nec vaga muscosis flumina fusa iugis,
Quin ego in assidua mutem tua nomina lingua,
Absenti nemo ne nocuisse velit.

XIII. [XX.]

Quid fles abducta gravius Briseïde? quid fles
Anxia captiva tristius Andromacha?
Quidve mea de fraude deos, insana, fatigas?
Quid quereris nostram sic cecidisse fidem?
Non tam nocturna volucris funesta querela
Attica Cecropiis obstrepit in foliis,
Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba
Sollicito lacrimas defluit a Sipylo.
Me licet aeratis astringant brachia nodis,
Sint mea vel Danaës condita membra domo;
In te ego et aeratas rumpam, mea vita, catenas,
Ferratam Danaës transiliamque domum.

XIII, 8: *asyphilo.*

De te quodcumque ad surdas mihi dicitur aures;
Tu modo ne dubita de gravitate mea.
Ossa tibi iuro per matris et ossa parentis, —
Si fallo, cinis heu sit mihi uterque gravis! —
Me tibi ad extremas mansurum, vita, tenebras:
Ambos una fides auferet una dies.
Quod si nec nomen, nec me tua forma teneret,
Posset servitium mite tenere tuum.
Septima iam plenae deducitur orbita lunae,
Cum de me et de te compita nulla tacent;
Interea nobis non numquam ianua mollis,
Non numquam lecti copia facta tui;
Nec mihi muneribus nox ulla est empta beatis;
Quicquid eram, hoc animi gratia magna tui.
Cum te tam multi peterent, tu me una petisti;
Possum ego naturae non meminisse tuae?
Tum me vel tragicae vexetis Erinyes, et me
Inferno damnes, Aeace, iudicio,
Atque inter Tityi volucres mea poena vagetur,
Tumque ego Sisyphio saxa labore geram.
Nec tu supplicibus me sis venerata tabellis:
Ultima talis erit, quae mea prima fides.
Hoc mihi perpetuo ius est, quod solus amator
Nec cito desisto, nec temere incipio.

XIV. [XXI.]

Ah quantum de me Panthi tibi pagina finxit,
Tantum illi Pantho ne sit amica Venus!
Sed tibi iam videor Dodona verior augur?
Uxorem ille tuus pulcher amator habet.
Tot noctes periere! Nihil pudet? aspice, cantat
Liber; tu nimium credula sola iaces.
Et nunc inter eos tu sermo es; te ille superbus
Dicit se invito saepe fuisse domi.

Dispeream, si quicquam aliud quam gloria de te
  Quaeritur; has laudes ille maritus habet.
Colchida sic hospes quondam decepit Iason:
  Eiecta est; tenuit namque Creusa domum.
Sic a Dulichio iuvene est elusa Calypso:
  Vidit amatorem pandere vela suum.
Ah nimium faciles aurem praebere puellae,
  Discite desertae non temere esse bonae.
Huic quoque qui restat? Iam pridem quaeritur alter.
  Experta in primo, stulta, cavere potes.
Nos quocumque loco, nos omni tempore tecum
  Sive aegra pariter sive valente sumus.

XV. [XXII.]

Scis here mi multas pariter placuisse puellas,
  Scis mihi, Demophoon, multa venire mala.
Nulla meis frustra lustrantur compita plantis,
  O nimis exitio nata theatra meo!
Sive aliquis molli deducit candida gestu
  Brachia, seu varios incinit ore modos,
Interea nostri quaerunt sibi vulnus ocelli,
  Candida non tecto pectore si qua sedet,
Sive vagi crines puris in frontibus errant,
  Indica quos medio vertice gemma tenet.
Quae si forte aliquid vultu mihi dura negarat,
  Frigida de tota fronte cadebat aqua.
Quaeris, Demophoon, cur sim tam mollis in omnes?
  Quod quaeris QUARE non habet ullus amor.
Cur aliquis sacris laniat sua brachia cultris,
  Et Phrygis insanos caeditur ad numeros?
Unicuique dedit vitium natura creato:
  Mi fortuna aliquid semper amare dedit.
Me licet et Thamyrae cantoris fata sequantur,

XIV, 17: Hinc. XV, 2: Scis mi hinc.

Numquam ad formosas, invide, caecus ero.
Sed, tibi si exiles videor tenuatus in artus,
Falleris: haud umquam est culta labore Venus.
Percontere licet; saepe est experta puella
Officium tota nocte valere meum.
Iuppiter Alcmenae geminas requieverat Arctos,
Et caelum noctu bis sine rege fuit,
Nec tamen idcirco languens ad fulmina venit:
Nullus amor vires eripit ipse suas.
Quid? cum e complexu Briseïdos iret Achilles,
Num fugere minus Thessala tela Phryges?
Quid? ferus Andromachae lecto cum surgeret Hector,
Bella Mycenaeae non timuere rates?
Ille vel hic classes poterat, vel perdere muros.
Hic ego Pelides, hic ferus Hector ego.
Aspice uti caelo modo sol, modo luna ministret:
Sic etiam nobis una puella parum est.
Altera me cupidis teneat foveatque lacertis,
Altera si quando non sinit esse locum;
Aut, si forte irata meo sit facta ministro,
Ut sciat esse aliam, quae velit esse mea.
Nam melius duo defendunt retinacula navim,
Tutius et geminos anxia mater alit.

XVI. [XXII, 43—50.]

Aut si es dura, nega: sin es non dura, venito!
Quid iuvat et nullo ponere verba loco?
Hic unus dolor est ex omnibus acer amanti,
Speranti subito si qua venire negat.
Quanta illum toto versant suspiria lecto,
Cum recipi, quem non noverit illa, putat.
Et rursus puerum quaerendo audita fatigat,
Quem, quae scire timet, dicere plura iubet.

XVI, 2: in.

XVII. [XXIII.]

Cui fuit indocti fugienda haec semita vulgi,
  Ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aqua est.
Ingenuus quisquam alterius dat munera servo,
  Ut promissa suae verba ferat dominae?
Et quaerit totiens: Quaenam nunc porticus illam
  Integit? et: Campo quo movet illa pedes?
Deinde, ubi pertuleris, quos dicit fama, labores
  Herculis, ut scribat: Muneris ecquid habes?
Cernere uti possis vultum custodis amari,
  Captus et immunda saepe latere casa?
Quam care semel in toto nox vertitur anno!
  Ah pereant, si quos ianua clausa iuvat!
Contra, reiecto quae libera vadit amictu,
  Custodum et nullo septa timore, placet.
Cui saepe immundo Sacra conteritur Via socco,
  Nec sinit esse moram, si quis adire velit.
Differet haec numquam, nec poscet garrula, quod te
  Astrictus ploret saepe dedisse pater;
Nec dicet: Timeo; propera iam surgere, quaeso:
  Infelix, hodie vir mihi rure venit!
Et quas Euphrates et quas mihi misit Orontes,
  Me capiant; nolim furta pudica tori:
Libertas quoniam nulli iam restat amanti.
  Nullus liber erit, si quis amare volet.

XVIII. [XXIV.]

Tu loqueris, cum sis iam noto fabula libro,
  Et tua sit toto Cynthia lecta foro:
Cui non his verbis aspergat tempora sudor? —
  At pudor ingenuus, aut reticendus amor.
Quod si tam facilis spiraret Cynthia nobis,
  Non ego nequitiae dicerer esse caput;
Nec sic per totam infamis traducerer urbem,

Urerer et quamvis, nomine verba darem.
Quare ne tibi sit mirum me quaerere viles:
Parcius infamant; num tibi causa levis?
Et modo pavonis caudae flabella superbae,
Et manibus dura frigus habere pila,
Et cupit iratum talos me poscere eburnos,
Quaeque nitent Sacra vilia dona Via.
Ac peream, si me ista movent dispendia; sed me
Fallaci dominae iam pudet esse iocum.

XIX. [XXIV, 17—52.]

Hoc erat in primis quod me gaudere iubebas?
Tam te formosam non pudet esse levem?
Una aut altera nox nondum est in amore peracta,
Et dicor lecto iam gravis esse tuo.
Me modo laudabas, et carmina nostra legebas:
Ille tuus pennas tam cito vertit amor?
Contendat mecum ingenio, contendat et arte,
In primis una discat amare domo;
Si libitum tibi erit, Lernaeas pugnet ad hydras,
Et tibi ab Hesperio mala dracone ferat;
Tetra venena libens, et naufragus ebibat undas,
Et numquam pro te deneget esse miser; —
Quos utinam in nobis, vita, experiare labores! —
Iam tibi de timidis iste superbus erit,
Qui nunc se in tumidum iactando venit honorem;
Discidium vobis proximus annus erit.
At me non aetas mutabit tota Sibyllae,
Non labor Alcidae, non niger ille dies.
Tu mea compones, et dices: Ossa, Properti,
Haec tua sunt; heu heu, tu mihi certus eras.
Certus eras heu heu, quamvis nec sanguine avito
Nobilis, et quamvis haud ita dives eras.

XIX, 22: *navita.*

Nil ego non patiar; numquam me iniuria mutat;
Ferre ego formosam nullum onus esse puto.
Credo ego non paucos ista periisse figura;
Credo ego sed multos non habuisse fidem.
Parvo dilexit spatio Minoïda Theseus,
Phyllida Demophoon, hospes uterque malus;
Iam tibi Iasonia nota est Medea carina,
Et modo servato sola relicta viro.
Dura est, quae multis simulatum fingit amorem,
Et se plus uni si qua parare potest.
Noli nobilibus, noli conferre beatis:
Vix venit, extremo qui legat ossa die.
Ii tibi nos erimus; sed tu potius, precor, ut me
Demissis plangas pectora nuda comis.

XX. [XXV.]

Unica nata meo pulcherrima cura dolori,
Excludit quoniam sors mea SAEPE VENI,
Ista meis fiet notissima forma libellis,
Calve, tua venia, pace, Catulle, tua.
Miles depositis annosus secubat armis,
Grandaevique negant ducere aratra boves,
Putris et in vacua requiescit navis arena,
Et vetus in templo bellica parma vacat;
At me ab amore tuo deducet nulla senectus,
Sive ego Tithonus, sive ego Nestor ero.
Nonne fuit satius duro servire tyranno,
Et gemere in tauro, saeve Perille, tuo?
Gorgonis et satius fuit obdurescere vultu,
Caucasias etiam si pateremur aves.
Sed tamen obsistam: teritur rubigine mucro
Ferreus et parvo saepe liquore silex,
At nullo dominae teritur sub limine amor, qui

XX, 12: *sevae.*

Restat et immerita sustinet aure minas.
Ultro contemptus rogat, et peccasse fatetur
Laesus, et invitis ipse redit pedibus.
Tu quoque, qui pleno fastus adsumis amore,
Credule, nulla diu femina pondus habet.
An quisquam in mediis persolvit vota procellis,
Cum saepe in portu fracta carina natet?
Aut prius infecto deposcit praemia cursu,
Septima quam metam triverit ante rota?
Mendaces ludunt flatus in amore secundi:
Si qua venit sero, magna ruina venit.
Tu tamen interea, quamvis te diligat illa,
In tacito cohibe gaudia clausa sinu.
Namque in amore suo semper sua maxima cuique
Nescio quo pacto verba nocere solent.
Quamvis te persaepe vocet, semel ire memento:
Invidiam quod habet, non solet esse diu.
At si saecla forent antiquis grata puellis,
Essem ego, quod nunc tu; tempore vincor ego.
Non tamen ista meos mutabunt saecula mores:
Unusquisque sua noverit ire via.
At vos, qui officia in multos revocatis amores,
Quantum sic cruciat lumina vestra dolor!
Vidistis pleno teneram candore puellam,
Vidistis fusco: ducit uterque color.
Vidistis quandam Argiva prodire figura,
Vidistis nostras: utraque forma rapit.
Illaque plebeio, vel sit sandicis amictu:
Haec atque illa mali vulneris una via est;
Cum satis una tuis insomnia portet ocellis,
Una sit et cuivis femina multa mala.

XXI. [XXVI.]

Vidi te in somnis fracta, mea vita, carina
Ionio lassas ducere rore manus,

Et quaecumque in me fueras mentita, fateri,
  Nec iam humore graves tollere posse comas:
Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen,
  Aurea quam molli tergore vexit ovis.
Quam timui, ne forte tuum mare nomen haberet,
  Atque tua labens navita fleret aqua!
Quae tum ego Neptuno, quae tum cum Castore fratri,
  Quaeque tibi excepi, iam dea, Leucothee?
At tu, vix primas extollens gurgite palmas,
  Saepe meum nomen iam peritura vocas.
Quod si forte tuos vidisset Glaucus ocellos,
  Esses Ionii facta puella maris,
Et tibi ob invidiam Nereïdes increpitarent,
  Candida Nesaeë, caerula Cymothoë.
Sed tibi subsidio delphinum currere vidi,
  Qui, puto, Arioniam vexerat ante lyram.
Iamque ego conabar summo me mittere saxo,
  Cum mihi discussit talia visa metus.

XXII. [XXVI, 21—58.]

Nunc admirentur, quod tam mihi pulchra puella
  Serviat, et tota dicar in urbe potens.
Non, si Cambysae redeant et flumina Croesi,
  Dicat: De nostro surge, poeta, toro.
Nam mea cum recitat, dicit se odisse beatos:
  Carmina tam sancte nulla puella colit.
Multum in amore fides, multum constantia prodest:
  Qui dare multa potest, multa et amare potest.
Seu mare per longum mea cogitet ire puella,
  Hanc sequar, et fidos una aget aura duos.
Unum litus erit sopitis, unaque tecto
  Arbor, et ex una saepe bibemus aqua,
Et tabula una duos poterit componere amantes,
  Prora cubile mihi, seu mihi puppis erit.
Omnia perpetiar; saevus licet urgeat Eurus,

Velaque in incertum frigidus Auster agat,
Quodcumque et venti miserum vexastis Ulixen,
Et Danaum Euboico litore mille rates,
Et qui movistis duo litora, cum rudis Argus
Dux erat ignoto missa columba mari.
Illa meis tantum non umquam desit ocellis,
Incendat navem Iuppiter ipse licet.
Certe isdem nudi pariter iactabimur oris.
Me licet unda ferat, te modo terra tegat.
Sed non Neptunus tanto crudelis amori,
Neptunus fratri par in amore Iovi.
Testis Amymone, latices dum ferret, in Argis
Compressa, et Lernae pulsa tridente palus.
Iam Deus amplexu votum persolvit, at illi
Aurea divinas urna profudit aquas.
Crudelem et Boream rapta Orithyia negavit;
Hic deus et terras et maria alta domat.
Crede mihi, nobis mitescet Scylla, nec umquam
Alternante vorans vasta Charybdis aqua.
Ipsaque sidera erunt nullis obscura tenebris;
Purus et Orion, purus et Haedus erit.
Quod mihi si ponenda tuo sit corpore vita,
Exitus hic nobis non inhonestus erit.

XXIII. [XXVII.]

At vos incertam, mortales, funeris horam
Quaeritis, et qua sit mors aditura via;
Quaeritis et caelo, Phoenicum inventa, sereno,
Quae sit stella homini commoda quaeque mala.
Seu pedibus Parthos sequitur seu classe Britannos,
Et maris et terrae caeca pericla viae;
Rursus et obiectum fletis capiti esse tumultum,
Cum Mavors dubias miscet utrimque manus;

XXIII 1: Et.

Praeterea domibus flammas, domibusque ruinas,
Neu subeant labris pocula nigra tuis.
Solus amans novit, quando periturus et a qua
Morte; neque hic Boreae flabra neque arma timet;
Iam licet et Stygia sedeat sub arundine remex,
Cernat et infernae tristia vela ratis:
Si modo damnatum revocaverit aura puellae,
Concessum nulla lege redibit iter.

XXIV. [XXVIII.]

Iuppiter, affectae tandem miserere puellae!
Tam formosa tuum mortua crimen erit.
Venit enim tempus, quo torridus aestuat aer,
Incipit et sicco fervere terra Cane.
Sed non tam ardoris culpa est, neque crimina caeli,
Quam totiens sanctos non habuisse deos.
Hoc perdit miseras hoc perdidit ante puellas:
Quicquid iurarunt, ventus et unda rapit.
Num sibi collatam doluit Venus ipsa paremque?
Prae se formosis invidiosa dea est.
An contempta tibi Iunonis templa Pelasgae?
Palladis aut oculos ausa negare bonos?
Semper, formosae, non nostis parcere verbis.
Hoc tibi lingua nocens, hoc tibi forma dedit.
Sed tibi, vexata per multa pericula vita,
Extremo veniet mollior hora die.
Io versa caput primos mugiverat annos:
Nunc dea, quae Nili flumina vacca bibit.
Ino etiam prima terris aetate vagata est:
Hanc miser implorat navita Leucotheen.
Andromede monstris fuerat devota marinis:
Haec eadem Persei nobilis uxor erat.
Callisto Arcadios erraverat ursa per agros:
Haec nocturna suo sidere vela regit.

XXIV, 20: *leucothoen.*

Quod si forte tibi properarint fata quietem,
Illa sepulturae fata beata tuae:
Narrabis Semelae, quo sis formosa periclo,
Credet et illa suo docta puella malo;
Et tibi Maeonias inter Heroïdas omnis
Primus erit, nulla non tribuente, locus.
Nunc, utcumque potes, fato gere saucia morem:
Et deus et durus vertitur ipse dies.
Hoc tibi vel coniunx poterit ignoscere Iuno:
Frangitur et Iuno, si qua puella perit.

XXV. [XXVIII, 35—45.]

Deficiunt magico torti sub carmine rhombi,
Et iacet extincto laurus adusta foco,
Et iam Luna negat totiens descendere caelo;
Nigraque funestum concinit omen avis.
Una ratis fati nostros portabit amores
Caerula ad infernos velificata lacus.
Si non unius, quaeso, miserere duorum!
Vivam, si vivet; si cadet illa, cadam.
Pro quibus optatis sacro me carmine damno:
Scribam ego: PER MAGNUM SALVA PUELLA IOVEM.
Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit,
Narrabitque sedens longa pericla sua.

XXVI. [XXVIII, 47—58.]

Haec tua, Persephone, maneat clementia, nec tu,
Persephones coniunx, saevior esse velis.
Sunt apud infernos tot milia formosarum:
Pulchra sit in superis, si licet, una locis.
Vobiscum est Iope, vobiscum candida Tyro,
Vobiscum Europe, nec proba Pasiphae:
Et quot Troia tulit vetus et quot Achaïa formas,

Et Phoebi et Priami diruta regna senis,
Et quaecumque erat in numero Romana puella,
Occidit. Has omnes ignis avarus habet;
Nec forma aeternum, aut cuiquam est fortuna perennis:
Longius aut propius mors sua quemque manet.

XXVII. [XXVIII, 59—62.]

Tu quoniam es, mea lux, magno demissa periclo,
Munera Dianae debita redde choros;
Redde etiam excubias divae nunc, ante iuvencae;
Votivas noctes et mihi solve decem.

XXVIII. [XXIX.]

Hesterna, mea lux, cum potus nocte vagarer,
Nec me servorum duceret ulla manus,
Obvia, nescio quot pueri, mihi turba minuta
Venerat; — hos vetuit me numerare timor, —
Quorum alii faculas, alii retinere sagittas,
Pars etiam visa est vincla parare mihi.
Sed nudi fuerant. Quorum lascivior unus,
Arripite hunc, inquit, nam bene nostis eum;
Hic erat, hunc mulier nobis irata locavit!
Dixit, et in collo iam mihi nodus erat.
Hic alter iubet in medium propellere, et alter:
Intereat, qui nos non putat esse deos!
Haec te non meritum totas expectat in horas;
At tu nescio quas quaeris, inepte, fores?
Quae cum Sidoniae nocturna ligamina mitrae
Solverit atque oculos moverit illa graves,
Adflabunt tibi non Arabum de gramine odores,
Sed quos ipse suis fecit Amor manibus.
Parcite iam, fratres; iam certos spondeo amores;

XXVIII, 1: Extrema

Et iam ad mandatam venimus ecce domum.
Atque ita me iniecto duxerunt rursus amictu:
I nunc, et noctes disce manere domi!
Mane erat, et volui, si sola quiesceret illa,
Visere: et in lecto Cynthia sola fuit.
Obstupui; non illa mihi formosior umquam
Visa, neque ostrina cum fuit in tunica,
Ibat et hinc castae narratum somnia Vestae,
Neu sibi, neve mihi quae nocitura forent:
Talis visa mihi somno demissa recenti;
Heu quantum per se candida forma valet!
Quo tu matutinus, ait, speculator amicae?
Me similem vestris moribus esse putas?
Non ego tam facilis: sat erit mihi cognitus unus,
Vel tu, vel si quis verior esse potest.
Apparent non ulla toro vestigia presso,
Signa voluptatis, nec iacuisse duos.
Aspice, ut in toto nullus mihi corpore surgat
Spiritus, admisso notus adulterio.
Dixit, et opposita propellens savia dextra,
Prosilit in laxa nixa pedem solea.
Sic ego tam sancti Custode recludor amoris,
Ex illo felix nox mihi nulla fuit!

XXIX. [XXX.]

Quo fugis? ah, demens, nulla est fuga! tu licet usque
Ad Tanain fugias: usque sequetur Amor.
Non si Pegaseo vecteris in aëre dorso,
Nec tibi si Persei moverit ala pedes;
Vel si te sectae rapiant talaribus aurae,
Nil tibi Mercurii proderit alta via.
Instat semper Amor supra caput; instat amanti,
Et gravis ipse super libera colla sedet.

XXVIII, 21: mi — dixerunt XXIX, 2: Sed

Excubat ille acer custos, et tollere numquam
Te patietur humo lumina capta semel.
Et iam si pecces, deus exorabilis ille est,
Si modo praesentis viderit esse preces.
Ista senes licet accusent convivia duri:
Nos modo propositum, vita, teramus iter.
Illorum antiquis onerentur legibus aures:
Hic locus est, in quo, tibia docta, sones!
Quae non iure vado Maeandri iacta natasti,
Turpia cum faceret Palladis ora tumor.
Num iam, dure, paras Phrygias nunc ire per undas,
Et petere Hyrcani litora nota maris?
Spargere et alterna communes caede Penates,
Et ferre ad patrios praemia dira Lares? —
Una contentum pudeat me vivere amica?
Hoc si crimen erit, crimen Amoris erit;
Mi nemo obiiciat. Libeat tibi, Cynthia, mecum
Roscida muscosis antra tenere iugis.
Illic aspicies scopulis haerere Sorores,
Et canere antiqui dulcia furta Iovis:
Ut Semela est combustus, ut est deperditus Io,
Denique ut ad Troiae tecta volarit avis.
Quod si nemo extat, qui vicerit Alitis arma,
Communis culpae cur reus unus agor?
Nec tu Virginibus reverentia moveris ora:
Hic quoque non nescit quid sit amare chorus;
Si tamen Oeagri quaedam compressa figura
Bistoniis olim rupibus accubuit.
Hic ubi me prima statuent in parte choreae,
Et medius docta cuspide Bacchus erit,
Tum capiti sacros patiar pendere corymbos:
Nam sine te nostrum nil valet ingenium.

XXIX, 11: Sed 37: te

XXX. [XXXI.]

Quaeris, cur veniam tibi tardior? Aurea Phoebo
  Porticus a magno Caesare aperta fuit.
Tota erat in speciem Poenis digesta columnis,
  Inter quas Danai femina turba senis.
Hic equidem Phoebo visus mihi pulchrior ipso
  Marmoreus tacita carmen hiare lyra;
Atque aram circum steterant armenta Myronis,
  Quattuor artificis, vivida signa, boves.
Tum medium claro surgebat marmore templum,
  Et patria Phoebo carior Ortygia.
In quo Solis erat supra fastigia currus,
  Et valvae Libyci nobile dentis opus,
Altera deiectos Parnasi vertice Gallos,
  Altera maerebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem deus ipse interque sororem
  Pythius in longa carmina veste sonat.

XXXI. [XXXII.]

Qui videt, is peccat: qui te non viderit ergo,
  Non cupiet; facti crimina lumen habet.
Nam quid Praenestis dubias, o Cynthia, sortes
  Quid petis Aeaei moenia Telegoni?
Curve te in Herculeum deportant esseda Tibur?
  Appia cur totiens te via ducit anus?
Hoc utinam spatiere loco, quodcumque vacabis,
  Cynthia! Nam tibi me credere turba vetat,
Cum videt accensis devotam currere taedis
  In nemus et Triviae lumina ferre deae.
Scilicet umbrosis sordet Pompeia columnis
  Porticus aulaeis nobilis Attalicis,

XXX, 8: artifices XXXI, 5: *Cur vatem* 6: *anum.*

Et creber pariter platanis surgentibus ordo,
  Flumina sopito quaeque Marone cadunt,
Tot leviter lymphis tota crepitantibus urbe,
  Cum subito Triton ore recondit aquam.
Falleris! ista tui furtum via monstrat amoris:
  Non urbem, demens, lumina nostra fugis!
Nil agis; insidias in me componis inanes;
  Tendis iners docto retia nota mihi.
Sed de me minus est: famae iactura pudicae
  Tanta tibi miserae, quanta mereris, erit.
Nuper enim de te nostras me laedit ad aures
  Rumor, et in tota non bonus urbe fuit.
Sed tu non debes inimicae credere linguae:
  Semper formosis fabula poena fuit.
Non tua deprenso damnata est fama veneno;
  Testis eris puras, Phoebe, videre manus:
Sin autem longo nox una aut altera luxu
  Consumpta est, non me crimina parva movent.
Tyndaris externo patriam mutavit amore,
  Et sine decreto viva reducta domum est;
Ipsa Venus quamvis corrupta libidine Martis,
  Non minus in caelo semper honesta fuit;
Quamvis Ida Parim pastorem dicat amasse,
  Atque inter pecudes accubuisse deam;
Hoc et Hamadryadum spectavit turba sororum,
  Silenique senes, et pater ipse chori,
Cum quibus Idaeo legisti poma sub antro,
  Supposita excipiens Naïca dona manu.
An quisquam in tanto stuprorum examine quaerit:
  Cur haec tam dives? quis dedit? unde dedit?
O nimium nostro felicem tempore Romam,
  Si contra morem una puella facit!
Haec eadem ante illam impune et Lesbia fecit:
  Quae sequitur, certe est invidiosa minus.

XXXI, 14: Anione 25: cedere

Qui quaerit Tatios veteres durosque Sabinos,
Hic posuit nostra nuper in urbe pedem.
Tu prius et fluctus poteris siccare marinos,
Altaque mortali deligere astra manu,
Quam facere, ut nostrae nolint peccare puellae:
Hic mos Saturno regna tenente fuit,
Et cum Deucalionis aquae fluxere per orbem,
Et post antiquas Deucalionis aquas.
Dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum?
Quae dea cum solo vivere sola deo?
Uxorem quondam magni Minois, ut aiunt,
Corrupit torvi candida forma bovis.
Nec minus aerato Danaë circumdata muro
Non potuit magno casta negare deo.
Quod si tu Graias, tuque es imitata Latinas,
Semper vive meo libera iudicio.

XXXII. [XXXIII.]

Tristia iam redeunt iterum solemnia nobis;
Cynthia iam noctes est operata decem.
Atque utinam pereat, Nilo quae sacra tepente
Misit matronis Inachis Ausoniis!
Quae dea tam cupidos totiens divisit amantes?
Quaecumque illa fuit, semper amara fuit.
Tu certe Iovis occultis in amoribus, Io,
Sensisti, multas quid sit inire vias,
Cum te iussit habere puellam cornua Iuno,
Et pecoris duro perdere verba sono.
Ah quotiens quernis laesisti frondibus ora!
Mansisti stabulis abdita pasta tuis!
An, quoniam agrestem detraxit ab ore figuram
Iuppiter, idcirco facta, superba, dea es?
An tibi non satis est fuscis Aegyptus alumnis?

XXXI, 47: durasque Sabinas

Cur tibi tam longa Roma petita via est?
Quidve tibi prodest viduas dormire puellas?
Sed tibi, crede mihi, cornua rursus erunt!
Aut nos e nostra te, saeva, fugabimus urbe:
Cum Tiberi Nilo gratia nulla fuit.
At tu, quae nostro nimium placata dolore es,
Noctibus his vacui ter faciamus iter.
Non audis, et verba sinis mea ludere, cum iam
Flectant Icarii sidera tarda boves.
Lenta bibis; mediae nequeunt te frangere noctes.
An nondum est talos mittere lassa manus?
Ah pereat, quicumque meracas reperit uvas,
Corrupitque bonas nectare primus aquas!
Icare, Cecropiis merito iugulate colonis,
Pampineus, nosti, quam sit amarus odor.
Tu quoque, o Eurytion, vino, Centaure, peristi,
Nec non Ismario tu, Polypheme, mero.
Vino forma perit, vino corrumpitur aetas,
Vino saepe suum nescit amica virum.
Me miserum, ut multo nihil est mutata Lyaeo!
Iam bibe; formosa es: nil tibi vina nocent,
Cum tua praependent demissae in pocula sertae,
Et mea deducta carmina voce legis.
Largius effuso madeat tibi mensa Falerno,
Spumet et aurato mollius in calice!
Nulla tamen lecto recipit se sola libenter;
Est quiddam, quod vos quaerere cogat Amor.
Semper in absentis felicior aestus amantes:
Elevat assiduos copia longa viros.

XXXIII. [XXXIV.]

Cur quisquam faciem dominae iam credit amico?
Sic erepta mihi paene puella mea est.
Expertus dico, nemo est in amore fidelis:
Formosam raro non sibi quisque petit.

Polluit ille deus cognatos, solvit amicos,
Et bene concordes tristia ad arma vocat.
Hospes in hospitium Menelai venit adulter.
Colchis et ignotum nonne secuta virum est?
Lynceu, tune meam potuisti tangere curam?
Perfide, nonne tuae tum cecidere manus?
Quid, si non constans illa et tam certa fuisset?
Posses in tanto vivere flagitio?
Tu mihi vel ferro pectus, vel perde veneno:
A domina tantum te modo tolle mea.
Te socium vitae, te corporis esse licebit,
Te dominum admitto rebus, amice, meis:
Lecto te solum, lecto te deprecor uno;
Rivalem possum non ego ferre Iovem.
Ipse meas solus, quod nil est, aemulor umbras,
Stultus, quod stulto saepe timore tremo.
Una tamen causa est, qua crimina tanta remitto,
Errabant multo quod tua verba mero.
Sed numquam vitae fallet me ruga severae:
Omnes iam norunt, quam sit amare bonum.
Lynceus ipse meus seros insanit amores.
Solum te nostros laetor adire deos.
Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris
Proderit, aut rerum dicere posse vias?
Aut quid Cretaei tibi prosunt carmina lecta?
Nil iuvat in magno vester amore senex.
Tu — satius, — memorem Musis imitere Philetam,
Et non inflati somnia Callimachi.
Nam cursus licet Aetoli referas Acheloi,
Fluxerit ut magno fractus amore liquor,
Atque etiam ut Phrygio fallax Maeandria campo
Errat, et ipsa suas decipit unda vias,
Qualis et Adrasti fuerit vocalis Arion
Tristis ad Archemori funera victor equus;
Amphiaraëae haud prosunt tibi fata quadrigae,

XXXIII, 39: *haud amph.*

Aut Capanei magno grata ruina Iovi.
Desine et Aeschyleo componere verba cothurno,
Desine, et ad molles membra resolve choros!
Incipe iam angusto versus includere torno,
Inque tuos ignes, dure poeta, veni!
Tu non Antimacho, non tutior ibis Homero:
Despicit et magnos recta puella deos.
Sed non ante gravis taurus succumbit aratro,
Cornua quam validis haeserit in laqueis;
Nec tu tam duros per te patieris amores,
Trux tamen a nobis ante domandus eris.
Harum nulla solet rationem quaerere mundi,
Nec cur fraternis Luna laboret equis,
Nec si post Stygias aliquid restaverit undas,
Nec si consulto fulmina missa tonent.
Aspice me, cui parva domi fortuna relicta est,
Nullus et antiquo Marte triumphus avi,
Ut regnem mixtas inter conviva puellas
Hoc ego, quo tibi nunc elevor, ingenio.
Me iuvet hesternis positum languere corollis,
Quem tetigit iactu certus ad ossa Deus:
Actia Virgilio custodis litora Phoebi,
Caesaris et fortes dicere posse rates:
Qui nunc Aeneae Troianaque suscitat arma,
Iactaque Lavinis moenia litoribus.
Cedite Romani scriptores, cedite Graii,
Nescio quid maius nascitur Iliade!
Tu canis umbrosi subter pineta Galaesi
Thyrsin, et attritis Daphnin arundinibus,
Utque decem possint corrumpere mala puellas,
Missus et impressis haedus ab uberibus.
Felix, qui viles pomis mercaris amores!
Huic licet ingratae Tityrus ipse canat.
Felix, intactum Corydon qui tentat Alexin

XXXIII, 59: *externis*

Agricolae domini carpere delicias!
Quamvis ille sua lassus requiescat avena,
Laudatur facilis inter Hamadryadas.
Tu canis Ascraei veteris praecepta poetae,
Quo seges in campo, quo viret uva iugo.
Tale facis carmen, docta testudine quale
Cynthius impositis temperat articulis.
Non tamen haec ulli venient ingrata legenti,
Sive in amore rudis, sive peritus erit.
Nec minor his animis, aut si minor, ore canorus
Anseris indocto carmine cessit olor.
Haec quoque perfecto ludebat Iasone Varro,
Varro Leucadiae maxima flamma suae.
Haec quoque lascivi cantarunt scripta Catulli,
Lesbia quis ipsa notior est Helena.
Haec etiam docti confessa est pagina Calvi,
Cum caneret miserae funera Quintiliae.
Et modo formosa quam multa Lycoride Gallus
Mortuus inferna vulnera lavit aqua!
Cynthia quin etiam versu laudata Propertî,
Hos inter si me ponere Fama volet.

XXXIII, 83: *sim*

SEX. AURELII PROPERTII
ELEGIARUM
LIBER QUARTUS. [TERTIUS.]

I. [I et II.]

Callimachi Manes et Coi sacra Philetae,
  In vestrum, quaeso, me sinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
  Itala per Graios orgia ferre choros.
Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro?
  Quove pede ingressi? quamve bibistis aquam?
Ah valeat, Phoebum quicumque moratur in armis!
  Exactus tenui pumice versus eat;
Quo me Fama levat terra sublimis, et a me
  Nata coronatis Musa triumphat equis,
Et mecum in curru parvi vectantur Amores,
  Scriptorumque meas turba secuta rotas.
Quid frustra missis in me certatis habenis?
  Non datur ad Musas currere lata via.
Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent,
  Qui finem imperii Bactra futura canent.
Sed, quod pace legas, opus hoc de monte Sororum
  Detulit intacta pagina nostra via.
Mollia, Pegasides, vestro date serta poetae:
  Non faciet capiti dura corona meo.

At mihi quod vivo detraxerit invida turba,
  Post obitum duplici fenore reddet Honos.
Omnia post obitum fingit maiora vetustas:
  Maius ab exequiis nomen in ora venit.
Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces,
  Fluminaque Haemonio cominus isse viro,
Idaeum Simoënta Iovis cunabula parvi,
  Hectora per campos ter maculasse rotas?
Deïphobumque, Helenumque, et Polydamanta, et in armis
  Qualemcumque Parin vix sua nosset humus.
Exiguo sermone fores nunc, Ilion, et tu
  Troia, bis Oetaei numine capta dei.
Nec non ille tui casus memorator Homerus
  Posteritate suum crescere sensit opus.
Meque inter seros laudabit Roma nepotes;
  Illum post cineres auguror ipse diem.
Ne mea contempto lapis indicet ossa sepulcro,
  Provisum est, Lycio vota probante deo.
Carminis interea nostri redeamus in orbem,
  Gaudeat ut solito tacta puella sono.
Orphea detinuisse feras et concita dicunt [II]
  Flumina Threïcia sustinuisse lyra;
Saxa Cithaeronis Thebas agitata per artem
  Sponte sua in muri membra coisse ferunt;
Quin etiam, Polypheme, fera Galatea sub Aetna
  Ad tua rorantes carmina flexit equos;
Miremur, nobis et Baccho et Apolline dextro,
  Turba puellarum si mea verba colit?
Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis,
  Nec camera auratas inter eburna trabes;
Nec mea Phaeacas aequant pomaria silvas,
  Non operosa rigat Martius antra liquor:
At Musae comites, et carmina grata legenti,
  Et defessa choris Calliopea meis.

I, 29: *polydamantes in* 51: *phaeacias*

Fortunata, meo si qua es celebrata libello!
Carmina erunt formae tot monumenta tuae.
Nam neque Pyramidum sumptus ad sidera ducti,
Nec Iovis Elei caelum imitata domus,
Nec Mausolei dives fortuna sepulcri
Mortis ab extrema conditione vacant.
Aut illis flamma aut imber subducet honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent;
At non ingenio quaesitum nomen ab aevo
Excidet: ingenio stat sine morte decus.

II. [III.]

Visus eram molli recubans Heliconis in umbra,
Bellerophontei qua fluit humor equi,
Reges, Alba, tuos et regum facta tuorum —
Tantum operis! — nervis hiscere posse meis;
Parvaque tam magnis admoram fontibus ora,
Unde pater sitiens Ennius ante bibit,
Et cecinit Curios fratres, et Horatia pila,
Regiaque Aemilia vecta tropaea rate,
Victricesque moras Fabii, pugnamque sinistram
Cannensem et versos ad pia vota deos,
Hannibalemque Lares Romana sede fugantes,
Anseris et tutum voce fuisse Iovem;
Cum me Castalia speculans ex arbore Phoebus
Sic ait, aurata nixus ad antra lyra:
Quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te
Carminis heroi tangere iussit opus?
Non hinc ulla tibi speranda est fama, Properti:
Mollia sunt parvis prata terenda rotis.
Ut tuus in scamno iactetur saepe libellus,
Quem legat expectans sola puella virum,
Cur tua praescripto sevecta est pagina gyro?
Non est ingenii cymba gravanda tui.
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas;

Tutus eris: medio maxima turba mari est.
Dixerat, et plectro sedem mihi monstrat eburno,
Qua nova muscoso semita facta solo est.
Hic erat affixis viridis spelunca lapillis,
Pendebantque cavis tympana pumicibus.
Ergo Musarum et Sileni patris imago
Fictilis, et calami, Pan Tegeaee, tui;
Et Veneris dominae volucres, mea turba, columbae
Tingunt Gorgoneo Punica rostra lacu;
Diversaeque novem sortitae rura puellae
Exercent teneras in sua dona manus.
Haec hederas legit in thyrsos, haec carmina nervis
Aptat, at illa manu texit utraque rosam.
E quarum numero me contigit una dearum, —
Ut reor a facie, Calliopea fuit:
Contentus niveis semper vectabere cycnis,
Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.
Nil tibi sit rauco praeconia classica cornu
Flare, nec Aonium tinguere Marte nemus,
Aut quibus in campis Mariano praelia signo
Stent et Teutonicas Roma refringat opes:
Barbarus aut saevo perfusus sanguine Rhenus
Saucia maerenti corpora vectet aqua.
Quippe coronatos alienum ad limen amantes,
Nocturnaeque canes ebria signa fugae,
Ut per te clausas sciat exorare puellas,
Qui volet austeros arte ferire viros.
Talia Calliope, lymphisque a fonte petitis
Ora Philetaea nostra rigavit aqua.

III. [IV.]

Arma Deus Caesar dites meditatur ad Indos,
Et freta gemmiferi findere classe maris.

II, 42: *flere* 45: Suevo

Magna, viri, merces: parat ultima terra triumphos;
Tigris et Euphrates sub tua iura fluent.
Sera, sed Ausoniis veniet provincia virgis;
Adsuescent Latio Partha tropaea Iovi.
Ite, agite, expertae bello date lintea prorae,
Et solitum armigeri ducite munus equi.
Omina fausta cano: Crassos cladem que piate;
Ite, et Romanae consulite historiae.
Mars pater et sacrae fatalia lumina Vestae,
Ante meos obitus sit, precor, illa dies.
Qua videam spoliis oneratos Caesaris axes,
Ad vulgi plausus saepe resistere equos,
Inque sinu carae nixus spectare puellae
Incipiam et titulis oppida capta legam,
Tela fugacis equi, et braccati militis arcus,
Et subter captos arma sedere duces.
Ipsa tuam prolem serva, Venus! Hoc sit in aevum,
Cernis ab Aenea quod superesse caput!
Praeda sit haec illis, quorum meruere labores:
Me sat erit Sacra plaudere posse Via.

IV. [V.]

Pacis Amor deus est; pacem veneramur amantes.
Stant mihi cum domina proelia dura mea.
Nec tamen inviso pectus mihi carpitur auro,
Nec bibit e gemma divite nostra sitis.
Nec mihi mille iugis Campania pinguis aratur,
Nec miser aera paro clade, Corinthe, tua.
O prima infelix fingenti terra Prometheo!
Ille parum cauti pectoris egit opus:
Corpora disponens mentem non vidit in arte.
Recta animi primum debuit esse via.
Nunc maris in tantum vento iactamur, et hostem
Quaerimus, atque armis nectimus arma nova.

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas:
Nudus ad infernas, stulte, vehere rates.
Victor cum victis pariter miscebitur umbris;
Consule cum Mario, capte Iugurtha, sedes;
Lydus Dulichio non distat Croesus ab Iro;
Optima mors, parca quae venit acta die.
Me iuvat in prima coluisse Helicona iuventa,
Musarumque choris implicuisse manus.
Me iuvat et multo mentem vincire Lyaeo,
Et caput in verna semper habere rosa.
Atque ubi iam Venerem gravis interceperit aetas,
Sparserit et nigras alba senecta comas,
Tum mihi Naturae libeat perdiscere mores,
Quis deus hanc mundi temperet arte domum;
Qua venit exoriens, qua deficit, unde coactis
Cornibus in plenum menstrua luna redit;
Unde salo superant venti; quid flamine captet
Eurus, et in nubes unde perennis aqua;
Sit ventura dies, mundi quae subruat arces;
Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas;
Aut cur Perrhaebi tremuere cacumina Pindi,
Solis et atratis luxerit orbis equis;
Cur serus versare boves et plaustra Bootes;
Pleïadum spisso cur coit igne chorus;
Curve suos fines altum non exeat aequor,
Plenus et in partes quattuor annus eat;
Sub terris sint iura deum et tormenta gigantum;
Tisiphones atro si furit angue caput;
Aut Alcmaeoniae furiae aut ieiunia Phinei;
Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas;
Num tribus infernum custodit faucibus antrum
Cerberus, an Tityo iugera pauca novem;
An ficta in miseras descendit fabula gentes,
Et timor haud ultra quam rogus esse potest.

IV, 18: Parcae

Exitus hic vitae superet mihi! Vos, quibus arma
  Grata magis, Crassi signa referte domum.

V. [VI.]

Dic mihi de nostra, quae sentis, vera puella:
  Sic tibi sint dominae, Lygdame, dempta iuga.
Num me laetitia tumefactum fallis inani,
  Haec referens, quae me credere velle putas?
Omnis enim debet sine vano nuncius esse,
  Maioremque timens servus habere fidem.
Nunc mihi, si qua tenes, ab origine dicere prima
  Incipe; suspensis auribus ista bibam.
Siccine eam incomptis vidisti flere capillis?
  Illius ex oculis multa cadebat aqua?
Nec speculum strato vidisti, Lygdame, lecto?
  Ornabat niveas nullave gemma manus?
Ac maestam teneris vestem pendere lacertis?
  Scriniaque ad lecti clausa iacere pedes?
Tristis erat domus, et tristes sua pensa ministrae
  Carpebant, medio nebat et ipsa loco?
Humidaque impressa siccabat lumina lana,
  Rettulit et querulo iurgia nostra sono:
Haec te teste mihi promissa est, Lygdame, merces?
  Est poenae servo rumpere teste fidem.
Ille potest nullo miseram me linquere facto?
  Aequalem nulla dicere habere domo?
Gaudet me vacuo solam tabescere lecto!
  Si placet, insultet, Lygdame, morte mea.
Non me moribus illa, sed herbis improba vicit.
  Staminea rhombi ducitur ille rota.
Illum turgentis ranae portenta rubetae
  Et lecta exectis anguibus ossa trahunt,
Et strigis inventae per busta iacentia plumae,
  Cinctaque funesto lanea vitta toro.

V, 9: *Sicut eam* . 30: *viro*

Si non vana canunt mea somnia, Lygdame, testor,
  Poena erit ante meos sera, sed ampla, pedes.
Putris et in vacuo texetur aranea lecto;
  Noctibus illorum dormiet ipsa Venus. —
Quae tibi si veris animis est questa puella,
  Hac eadem rursus, Lygdame, curre via,
Et mea cum multis lacrimis mandata reporta;
  Iram, non fraudes esse in amore meo;
Me quoque consimili impositum torquerier igni
  Iurabo et bis sex integer esse dies.
Quod mihi si tanto felix concordia bello
  Extiterit, per me, Lygdame, liber eris.

VI. [VII.]

Ergo sollicitae tu causa, pecunia, vitae es;
  Per te immaturum mortis adimus iter!
Tu vitiis hominum crudelia pabula praebes;
  Semina curarum de capite orta tuo.
Tu Paetum ad Pharios tendentem lintea portus
  Obruis insano terque quaterque mari.
Nam dum te sequitur, primo miser excidit aevo,
  Et nova longinquis piscibus esca natat;
Et mater non iusta piae dare debita terrae,
  Nec pote cognatos inter humare rogos;
Sed tua nunc volucres astant super ossa marinae;
  Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare est.
Infelix Aquilo, raptae timor Orithyiae,
  Quae spolia ex illo tanta fuere tibi?
Aut quidnam fracta gaudes, Neptune, carina?
  Portabat sanctos alveus ille viros.
Paete, quid aetatem numeras? quid cara natanti
  Mater in ore tibi est? non habet unda deos.
Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis
  Omnia detrito vincula fune cadunt.

Sunt Agamemnonias testantia litora curas,
Qua notat Argynni poena, minantis aquae.
[Hoc iuvene amisso classem non solvit Atrides,
Pro qua mactata est Iphigenia mora.]
Reddite corpus humo! Posita est in gurgite vita!
Paetum sponte tua, vilis arena, tegas!
Et quotiens Paeti transibit nauta sepulcrum,
Dicat: Et audaci tu timor esse potes.
Ite, rates curvas et leti texite causas!
Ista per humanas mors venit acta manus.
Terra parum fuerat fatis? adiecimus undas;
Fortunae miseras auximus arte vias.
Ancora te teneat, quem non tenuere Penates?
Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?
Ventorum est, quodcumque paras: haud ulla carina
Consenuit; fallit portus et ipse fidem.
Natura insidians pontum substravit avaris;
Ut tibi succedat, vix semel esse potest.
Saxa triumphales fregere Caphareа puppes,
Naufraga cum vasto Graecia tracta salo est.
Paullatim socium iacturam flevit Ulixes,
In mare cui soli non valuere doli.
Quod si contentus patrio bove verteret agros,
Verbaque duxisset pondus habere mea,
Viveret ante suos dulcis conviva Penates,
Pauper, at in terra, nil ubi flere potest.
Non tulit hic Paetus stridorem audire procellae,
Et duro teneras laedere fune manus,
Sed Thyiae in thalamo aut Oricia terebintho
Effultus pluma versicolore caput.
Huic fluctus vivo radicitus abstulit ungues,
Et miser invisam traxit hiatus aquam;
Hunc parvo ferri vidit nox improba ligno;
Paetus ut occideret tot coïere mala.

VI, 22: natat 29: *curvae* 46: flare

Flens tamen extremis dedit haec mandata querelis,
Cum moribunda niger clauderet ora liquor:
Di maris, Aegaei quos sunt penes aequora, Venti,
Et quaecumque meum degravat unda caput,
Quo rapitis miseros tenerae lanuginis annos?
Attulimus longas in freta vestra manus.
Ah miser alcyonum scopulis affligar acutis;
In me caeruleo fuscina sumpta deo est.
At saltem Italiae regionibus advehat aestus:
Hoc de me — sat erit — si modo matris erit.
Subtrahit haec fantem torta vertigine fluctus;
Ultima quae Paeto voxque diesque fuit.
O centum aequoreae Nereo genitore puellae,
Et tu materno tacta dolore Theti,
Vos decuit lasso supponere brachia mento;
Non poterat vestras ille gravare manus.
At tu, saeve Aquilo, numquam mea vela videbis;
Ante fores dominae condar oportet iners.

VII. [VIII.]

Dulcis ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas,
Vocis et insanae tot maledicta tuae.
Cur furibunda mero mensam propellis, et in me
Proiicis insana cymbia plena manu?
Tu vero nostros audax invade capillos,
Et mea formosis unguibus ora nota!
Tu minitare oculos subiecta exurere flamma,
Fac mea rescisso pectora nuda sinu!
Nimirum veri dantur mihi signa caloris;
Nam sine amore gravi femina nulla dolet.
Quae mulier rabida iactat convicia lingua,
Quae Veneris magnae volvitur ante pedes,
Custodum gregibus circum quae stipat euntem,

VII, 11: *gravida*

Quae sequitur medias, Maenas ut icta, vias,
Seu timidam crebro dementia somnia terrent,
Seu miseram in tabula picta puella movet; —
His ego tormentis animi sum verus aruspex,
Has didici certo saepe in amore notas.
Non est certa fides, quam non iniuria versat.
Hostibus eveniat lenta puella meis!
Immorso aequales videant mea vulnera collo;
Me doceat livor mecum habuisse meam.
Aut in amore dolere volo, aut audire dolentem;
Sive meas lacrimas, sive videre tuas.
Tecta superciliis si quando verba remittis,
Aut tua cum digitis scripta silenda notas.
Odi ego, quum numquam pungunt suspiria somnos.
Semper in irata pallidus esse velim.
Dulcior ignis erat Paridi, cum Graia per arma
Tyndaridi poterat gaudia ferre suae.
Dum vincunt Danai, dum restat barbarus Hector,
Ille Helenae in gremio maxima bella gerit.
Aut tecum, aut pro te mihi cum rivalibus arma
Semper erunt: in te pax mihi nulla placet.
Gaude, quod nulla est aeque formosa; doleres,
Si qua foret; nunc sis iure superba licet.
At tibi, qui nostro nexisti retia lecto,
Sit socer aeternum, nec sine matre domus!
Cui nunc si qua data est furandae copia noctis,
Offensa illa mihi, non tibi amica dedit.

VIII. [IX.]

Maecenas, eques Etrusco de sanguine regum,
Intra fortunam qui cupis esse tuam,
Quid me scribendi tam vastum mittis in aequor?
Non sunt apta meae grandia vela rati.

VII, 29: *grata*

Turpe est, quod nequeas, capiti committere pondus,
Et pessum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
Fama nec ex aequo ducitur ulla iugo.
Gloria Lysippo est animosa effingere signa;
Exactis Calamis se mihi iactat equis.
In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles;
Parrhasius parva vindicat arte locum.
Argumenta magis sunt Mentoris addita formae;
At Myos exiguum flectit acanthus iter.
Phidiacus signo se Iuppiter ornat eburno;
Praxitelem propria vindicat urbe lapis.
Est, quibus Eleae concurrit palma quadrigae;
Est, quibus in celeres gloria nata pedes.
Hic satus ad pacem; hic castrensibus utilis armis:
Naturae sequitur semina quisque suae.
At tua, Maecenas, vitae praecepta recepi,
Cogor et exemplis te superare tuis.
Cum tibi Romano dominas in honore secures
Et liceat medio ponere iura foro,
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes,
Atque onerare tuam fixa per arma domum,
Et tibi ad effectum vires det Caesar, et omni
Tempore tam faciles insinuentur opes;
Parcis, et in tenues humilem te colligis umbras;
Velorum plenos subtrahis ipse sinus.
Crede mihi, magnos aequabunt ista Camillos
Iudicia, et venies tu quoque in ora virum,
Caesaris et famae vestigia iuncta tenebis:
Maecenatis erunt vera tropaea fides.
Non ego velifera tumidum mare findo carina:
Tota sub exiguo flumine nostra mora est.
Non flebo in cineres arcem sedisse paternos
Cadmi, nec semper praelia clade pari;

VIII, 38: septem

Nec referam Scaeas et Pergama Apollinis arces,
Et Danaum decimo vere redisse rates,
Moenia cum Graio Neptunia pressit aratro
Victor Palladiae ligneus artis equus.
Inter Callimachi sat erit placuisse libellos,
Et cecinisse modis, Coë poeta, tuis.
Haec pueros urant, urant haec scripta puellas;
Meque Deam clament, et mihi sacra ferant.
Te duce vel Iovis arma canam, caeloque minantem
Coeum, et Phlegraeis Oromedonta iugis;
Celsaque Romanis decerpta palatia tauris
Ordiar, et caeso moenia firma Remo;
Eductosque pares silvestri ex ubere reges;
Crescet et ingenium sub tua iussa meum.
Prosequar et currus utroque ab litore ovantes,
Parthorum astutae tela remissa fugae;
Castraque Pelusi Romano subruta ferro,
Antonique graves in sua fata manus.
Mollis tu coeptae fautor cape lora iuventae,
Dexteraque immissis da mihi signa rotis.
Hoc mihi, Maecenas, laudis concedis; et a te est,
Quod ferar in partes ipse fuisse tuas.

IX. [X].

Mirabar, quidnam misissent mane Camenae,
Ante meum stantes sole rubente torum.
Natalis nostrae signum misere puellae,
Et manibus faustos ter crepuere sonos.
Transeat hic sine nube dies, stent aëre venti,
Ponat et in sicco molliter unda minas.
Adspiciam nullos hodierna luce dolentes,
Et Niobes lacrimas supprimat ipse lapis.
Alcyonum positis requiescant ora querelis;

VIII, 45: *curant - curant* 48: Eurymedonta

Increpet absumptum nec sua mater Itym.
Tuque, o cara mihi, felicibus edita pennis,
Surge, et poscentes, iusta, precare Deos.
Ac primum pura somnum tibi discute limpha,
Et nitidas presso pollice finge comas.
Dein qua primum oculos cepisti veste Properti,
Indue, nec vacuum flore relinque caput;
Et pete, qua polles, ut sit tibi forma perennis,
Inque meum semper stent tua regna caput.
Inde coronatas ubi ture piaveris aras,
Luxerit et tota flamma secunda domo:
Sit mensae ratio, noxque inter pocula currat,
Et crocino nares murreus ungat onyx.
Tibia nocturnis succumbat rauca choreis,
Et sint nequitiae libera verba tuae;
Dulciaque ingratos adimant convivia somnos;
Publica vicinae perstrepat aura viae.
Sit sors et nobis talorum interprete iactu,
Quem gravibus pennis verberet ille Puer.
Cum fuerit multis exacta trientibus hora,
Noctis et instituet sacra ministra Venus,
Annua solvamus thalamo sollemnia nostro,
Natalisque tui sic peragamus iter.

X. [XI.]

Quid mirare, meam si versat femina vitam,
Et trahit addictum sub sua iura virum?
Criminaque ignavi capitis mihi turpia fingis,
Quod nequeam fracto rumpere vincla iugo?
Venturam melius praesagit navita noctem:
Vulneribus didicit miles habere metum.
Ista ego praeterita iactavi verba iuventa;
Tu nunc exemplo disce timere meo.
Colchis flagrantis adamantina sub iuga tauros
Egit, et armigera praelia sevit humo,

Custodisque feros clausit serpentis hiatus,
  Iret ut Aesonias aurea lana domos.
Ausa ferox ab equo quondam oppugnare sagittis
  Maeotis Danaum Penthesilea rates;
Aurea cui postquam nudavit cassida frontem,
  Vicit victorem candida forma virum.
Omphale in tantum formae processit honorem,
  Lydia Gygaeo tincta puella lacu,
Ut, qui pacato statuisset in orbe columnas,
  Tam dura traheret mollia pensa manu.
Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
  Ut solidum cocto tolleret aggere opus,
Et duo in adversum misit per moenia currus,
  Ne possent tacto stringere ab axe latus.
Duxit et Euphratem medium, qua condidit arces,
  Iussit et imperio surgere Bactra caput.
Nam quid ego heroas, quid raptem in crimina divos?
  Iuppiter infamat seque suamque domum.
Quid? modo quae nostris opprobria vexerat armis,
  Et famulos inter femina trita suos
Coniugis obsceni pretium Romana poposcit
  Moenia, et addictos in sua regna patres?
Noxia Alexandrea, dolis aptissima tellus,
  Et totiens nostro, Memphi, cruenta malo,
Tres ubi Pompeio detraxit arena triumphos; —
  Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam! —
Issent Phlegraeo melius tibi funera campo,
  Vel tua si socero colla daturus eras.
Scilicet incesti meretrix regina Canopi, —
  Una Philippeo sanguini adusta nota! —
Ausa Iovi nostro latrantem opponere Anubim,
  Et Tiberim Nili cogere ferre minas,
Romanamque tubam crepitanti pellere sistro,
  Baridos et contis rostra Liburna sequi,

X, 29: *vexerit* 33: alexandrina [?]

Foedaque Tarpeio conopia tendere saxo,
  Iura dare et statuas inter et arma Mari!
Quid nunc Tarquini fractas iuvat esse secures,
  Nomine quem simili vita superba notat,
Si mulier patienda fuit? Cape, Roma, triumphum,
  Et longum Augusto salva precare diem!
Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili;
  Accepere tuae Romula vincla manus.
Brachia spectavi sacris admorsa colubris,
  Et trahere occultum membra soporis iter.
Non hoc, Roma, fui tanto tibi cive verenda,
  Dixit, et assiduo lingua sepulta mero. —
Septem urbs alta iugis, toto quae praesidet orbi,
  Femineas timuit territa Marte minas?
Hannibalis spolia et victi monumenta Syphacis
  Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes;
Curtius expletis statuit monumenta lacunis;
  At Decius misso praelia rupit equo;
Coclitis abscissos testatur semita pontes;
  Est cui cognomen Corvus habere dedit.
Haec di condiderant, haec di quoque moenia servant:
  Vix timeat, salvo Caesare, Roma Iovem.
Nunc ubi Scipiadae classes? ubi signa Camilli?
  Aut modo Pompeia Bospore capta manu?
Leucadius versas acies memorabit Apollo.
  Tantum operis belli sustulit una dies.
At tu, sive petes portus, seu, navita, linques,
  Caesaris in toto sis memor Ionio.

XI. [XII.]

Postume, plorantem potuisti linquere Gallam,
  Miles et Augusti fortia signa sequi?
Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi,

X, 45: *canopeia*

Ne faceres, Galla multa rogante tua?
Si fas est, omnes pariter pereatis avari,
Et quisquis fido praetulit arma toro!
Tu tamen iniecta tectus, vesane, lacerna
Potabis galea fessus Araxis aquam.
Illa quidem interea fama tabescet inani,
Haec tua ne virtus fiat amara tibi;
Neve tua Medae laetentur caede sagittae,
Ferreus aurato neu cataphractus equo:
Neve aliquid de te flendum referatur in urna.
Sic redeunt, illis qui cecidere locis.
Ter quater in casta felix, o Postume, Galla
Moribus his alia coniuge dignus eras!
Quid faciet nullo munita puella timore,
Cum sit luxuriae Roma magistra tuae?
Sed securus eas. Gallam non munera vincent,
Duritiaeque tuae non erit illa memor.
Nam quocumque die salvum te fata remittent,
Pendebit collo Galla pudica tuo.
Postumus alter erit miranda coniuge Ulixes.
Non illi longae tot nocuere morae.
Castra decem annorum, et Ciconum mons, Ismara, Calpe,
Exustaeque tuae mox, Polypheme, genae,
Et Circes fraudes, Lotosque, herbaeque tenaces,
Scyllaque, et alternas scissa Charybdis aquas,
Lampeties Ithacis verubus mugisse iuvencos, —
Paverat hos Phoebo filia Lampetie —
Et thalamum Aeaeae flentis fugisse puellae,
Totque hiemis noctes, totque natasse dies,
Nigrantisque domos animarum intrasse silentum,
Sirenum surdo remige adisse lacus,
Et veteres arcus leto renovasse procorum,
Errorisque sui sic statuisse modum.

XI, 18: suae

Nec frustra; quia casta domi persederat uxor.
Vincit Penelopes Aelia Galla fidem.

XII. [XIII.]

Quaeritis, unde avidis nox sit pretiosa puellis,
Et Venere exhaustae damna querantur opes.
Certa quidem tantis causa et manifesta ruinis:
Luxuriae nimium libera facta via est.
Inda cavis aurum mittit formica metallis,
Et venit e rubro concha Erycina salo,
Et Tyrus ostrinos praebet Cadmea colores,
Cinnamon et multi pastor odoris Arabs.
Haec etiam clausas expugnant arma pudicas,
Haecque terunt fastus, Icarioti, tuos:
Matrona incedit census induta nepotum,
Et spolia obprobrii nostra per ora trahit.
Nulla est poscendi, nulla est reverentia dandi;
Aut, si qua est, pretio tollitur ipsa mora.
Felix Eois lex funeris una maritis,
Quos Aurora suis rubra colorat equis.
Namque ubi mortifero iacta est fax ultima lecto,
Uxorum fusis stat pia turba comis,
Et certamen habent leti, quae viva sequatur
Coniugium; pudor est, non licuisse mori.
Ardent victrices, et flammae pectora praebent,
Imponuntque suis ora perusta viris.
Hic genus infidum nuptarum; hic nulla puella
Nec fida Evadne, nec pia Penelope.
Felix agrestum quondam pacata iuventus,
Divitiae quorum messis et arbor erant.
Illis munus erant decussa Cydonia ramo,
Et dare puniceis plena canistra rubis;
Nunc violas tondere manu, nunc mixta referre

XII, 2: *venerem*

Lilia virgineos lucida per calathos;
Et portare suis vestitas frondibus uvas,
Aut variam plumae pluricoloris avem.
His tum blanditiis furtiva per antra puellae
Oscula silvicolis empta dedere viris.
Hinnulei pellis totos operibat amantes,
Altaque nativo creverat herba toro,
Pinus et incumbens laetas circumdabat umbras,
Nec fuerat nudas poena videre deas,
Corniger atque dei vacuam pastoris in aulam
Dux aries saturas ipse reduxit oves,
Dique deaeque omnes, quibus est tutela per agros,
Praebebant vestris verba secunda focis:
Et leporem, quicumque venis, venaberis, hospes,
Et si forte meo tramite quaeris avem;
Et me Pana tibi comitem de rupe vocato,
Sive petes calamo praemia, sive cane.
At nunc desertis cessant sacraria lucis:
Aurum omnes victa iam pietate colunt.
Auro pulsa fides, auro venalia iura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Torrida sacrilegum testantur limina Brennum,
Dum petit intonsi Pythia regna dei;
At mons laurigero concussus vertice diras
Gallica Parnasus sparsit in arma nives.
Te scelus accepto Thracis Polymestoris auro
Nutrit in hospitio non, Polydore, pio.
Tu quoque, ut auratos gereres, Eriphyla, lacertos,
Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis.
Proloquar: — atque utinam patriae sim vanus aruspex! —
Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.
Certa loquor, sed nulla fides; neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis Maenas habenda malis.
Sola Parim Phrygiae fatum componere, sola

XII, 35: *Atque hinuli*

Fallacem patriae serpere dixit equum.
Ille furor patriae fuit utilis, ille parenti;
Experta est veros irrita lingua deos.

XIII. [XIV.]

Multa tuae, Sparte, miramur iura palaestrae,
Sed mage virginei tot bona gymnasii,
Quod non infames exercet corpore ludos
Inter luctantes nuda puella viros;
Cum pila velocis fallit per brachia iactus,
Increpat et versi clavis adunca trochi,
Pulverulentaque ad extremas stat femina metas,
Et patitur duro vulnera pancratio.
Nunc ligat ad caestum gaudentia brachia loris,
Missile nunc disci pondus in orbe rotat.
Gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit,
Virgineumque cavo protegit aere caput.
Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Thermodontiacis turba, lavatur, aquis;
Et modo Taygeti, crines adspersa pruina,
Sectatur patrios per iuga longa canes;
Qualis et Eurotae Pollux et Castor ad undas,
Hic victor pugnis, ille futurus equis;
Inter quos Helene nudis capere arma papillis
Fertur, nec fratres erubuisse deos.
Lex igitur Spartana vetat secedere amantes,
Et licet in triviis ad latus esse suae;
Nec timor, aut ulla est clausae tutela puellae,
Nec gravis austeri poena cavenda viri.
Nullo praemisso de rebus tute loquaris
Ipse tuis, longae nulla repulsa morae.
Non Tyriae vestes errantia lumina fallunt,
Est neque odoratae cura molesta comae.

XIII, 3: *laudes* 28: *domi*

At nostra ingenti vadit circumdata turba,
Nec digitum angusta est inseruisse via.
Nec quae sint facies, nec quae sint verba rogandi,
Invenias: caecum versat amator iter.
Quod si iura fores, pugnasque imitata Laconum,
Carior hoc esses tu mihi, Roma, bono.

XIV. [XV.]

Sic ego non ullos iam norim in amore tumultus,
Nec veniat sine te nox vigilanda mihi!
Ut mihi praetextae pudor est velatus amictu,
Ut data libertas noscere amoris iter,
Illa rudes animos per noctes conscia primas
Imbuit heu nullis capta Lycinna datis!
Tertius haud multo minus est, cum ducitur annus;
Vix memini nobis verba coisse decem.
Cuncta tuus sepelivit amor, nec femina post te
Ulla dedit collo dulcia vincla meo.
Testis erit Dirce tam vero crimine saeva,
Nycteos Antiopen accubuisse Lyco.
Ah quotiens pulchros ussit regina capillos,
Molliaque immittens fixit in ora manus!
Ah quotiens famulam pensis oneravit iniquis,
Et caput in dura ponere iussit humo!
Saepe illam immundis passa est habitare tenebris,
Vilem ieiunae saepe negavit aquam.
Iuppiter, Antiopae nusquam succurris habenti
Tot mala? corrumpit dura catena manus.
Si deus es, tibi turpe tuam servare puellam?
Invocet Antiope quem, nisi, vincta, Iovem?
Sola tamen, quaecumque aderant in corpore vires,
Regales manicas rupit utraque manu.
Inde Cithaeronis timido pede currit in arces.
Nox erat, et sparso triste cubile gelu.

Saepe vago Asopi sonitu permota fluentis
  Credebat dominae pone venire pedes;
Et durum Zethum et lacrimis Amphiona mollem
  Experta est stabulis mater abacta suis.
Ac veluti magnos cum ponunt aequora motus, —
  Eurus in adversos desinit ire Notos, —
Litore sic tacito sonitus rarescit arenae;
  Sic cadit inflexo lapsa puella genu.
Sera, tamen pietas; natis est cognitus error;
  Digne Iovis natos qui tueare senex,
Tu reddis pueris matrem, puerique trahendam
  Vinxerunt Dircen sub trucis ora bovis.
Antiope cognosce Iovem: tibi gloria Dirce
  Ducitur, in multis mortem habitura locis.
Prata cruentantur Zetho, victorque canebat
  Paeana Amphion rupe, Aracynthe, tua.
At tu non meritam parcas vexare Lycinnam;
  Nescit vestra ruens ira referre pedem.
Fabula nulla tuas de nobis concitet aures:
  Te solam et lignis funeris ustus amem.

XV. [XVI.]

Nox media, et dominae mihi venit epistola nostrae:
  Tibure me missa iussit adesse mora.
Candida qua geminas ostendunt culmina turres,
  Et cadit in patulos lympha Aniena lacus.
Quid faciam? obductis committam mene tenebris?
  Ut timeam audaces in mea membra manus?
At, si distulero haec nostro mandata timore,
  Nocturno fletus saevior hoste mihi.
Peccaram semel, et totum sum pulsus in annum:
  In me mansuetas non habet illa manus.
Nec tamen est quisquam, sacros qui laedat amantes.
  Scironis media sic licet ire via.

Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris;
Nemo adeo, ut noceat, barbarus esse volet.
Luna ministrat iter; demonstrant astra salebras;
Ipse Amor accensas percutit ante faces.
Saeva canum rabies morsus avertit hiantis:
Huic generi quovis tempore tuta via est.
Sanguine tam parvo quis enim spargatur amantis
Improbus? exclusis fit comes ipsa Venus.
Quod si certa meos sequerentur funera casus,
Talis mors pretio vel sit emenda mihi.
Adferet huc unguenta mihi, sertisque sepulcrum
Ornabit custos ad mea busta sedens.
Di faciant, mea ne terra locet ossa frequenti,
Qua facit assiduo tramite vulgus iter!
Post mortem tumuli sic infamantur amantum;
Me tegat arborea devia terra coma,
Aut humer ignotae cumulis vallatus arenae:
Non iuvat in media nomen habere via.

XVI. [XVII.]

Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris:
Da mihi pacato vela secunda, pater.
Tu potes insanae Veneris compescere fastus,
Curarumque tuo fit medicina mero.
Per te iunguntur, per te solvuntur amantes:
Tu vitium ex animo dilue, Bacche, meo.
Te quoque enim non esse rudem testatur in astris
Lyncibus ad caelum vecta Ariadna tuis.
Hoc mihi, quod veteres custodit in ossibus ignes,
Funera sanabunt, aut tua vina, malum.
Semper enim vacuos nox sobria torquet amantes,
Spesque timorque animum versat utroque modo.
Quod si, Bacche, tuis per fervida tempora donis

XV, 23: haec

Accersitus erit somnus in ossa mea,
Ipse seram vites, pangamque ex ordine colles,
Quos carpant nullae, me vigilante, ferae.
Dummodo purpureo spument mihi dolia musto,
Et nova pressantis inquinet uva pedes,
Quod superest vitae, per te et tua cornua vivam,
Virtutisque tuae, Bacche, poeta ferar.
Dicam ego maternos Aetnaeo fulmine partus,
Indica Nysaeis arma fugata choris,
Vesanumque nova nequidquam in vite Lycurgum,
Pentheos in triplices funera grata greges,
Curvaque Tyrrhenos delphinum corpora nautas
In vada pampinea desiluisse rate,
Et tibi per mediam bene olentia flumina Naxon,
Unde tuum potat Naxia turba merum,
Candida làxatis onerato colla corymbis
Cinget Bassaricas Lydia mitra comas.
Levis odorato cervix manabit olivo;
Et feries nudos veste fluente pedes.
Mollia Dircaeae pulsabunt tympana Thebae;
Capripedes calamo Panes hiante canent.
Vertice turrigero iuxta dea magna Cybelle
Fundet ad Idaeos cymbala rauca choros.
Ante fores templi crater antistitis auro
Libatum fundens in tua sacra merum.
Haec ego non humili referam memoranda cothurno,
Qualis Pindarico spiritus ore tonat.
Tu modo servitio vacuum me siste superbo,
Atque hoc sollicitum vince sopore caput.

XVII. [XVIII.]

Clausus ab umbroso qua ludit Pontus Averno,
Humida Baiarum stagna tepentis aquae,

XVI, 35: Cybebe 36: Tundet

Qua iacet et Troiae tubicen Misenus arena,
Et sonat Herculeo structa labore via,
Hic, ubi, mortalis dextra cum quaereret urbes,
Cymbala Thebano concrepuere deo, —
At nunc invisae magno cum crimine Baiae,
Quis deus in vestra constitit hostis aqua? —
His pressus Stygias vultum demisit in undas,
Errat et in vestro spiritus ille lacu.
Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi
Mater, et amplexum Caesaris esse focos?
Aut modo tam pleno fluitantia vela theatro,
Et per maternas omnia gesta manus?
Occidit! Et misero steterat vigesimus annus!
Tot bona tam parvo clausit in orbe dies!
I nunc, tolle animos, et tecum finge triumphos,
Stantiaque in plausum tota theatra iuvent.
Attalicas supera vestes, atque omnia magnis
Gemmea sint ludis: ignibus usta dabis.
Sed tamen huc omnes, huc primus et ultimus ordo:
Est mala, sed cunctis ista terenda via est.
Exoranda canis tria sunt latrantia colla;
Scandenda est torvi publica cymba senis.
Ille licet ferro cautus se condat et aere,
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.
Nirea non facies, non vis exemit Achillem,
Croesum aut, Pactoli quas parit humor, opes.
Hic olim ignaros luctus populavit Achivos,
Atridae magno cum stetit alter amor.
At tibi, nauta, pias hominum qui traiicis umbras,
Huc animae portent corpus inane tuae,
Qua Siculae victor telluris Claudius et qua
Caesar ab humana cessit in astra via.

XVIII. [XIX.]

Obiicitur totiens a te mihi nostra libido;
Crede mihi, vobis imperat ista magis.
Vos, ubi contempti rupistis frena pudoris,
Nescitis captae mentis habere modum.
Flamma per incensas citius sedetur aristas,
Fluminaque ad fontis sint reditura caput,
Et placidum Syrtes portum et bona litora nautis
Praebeat hospitio saeva Malea suo,
Quam possit vestros quisquam reprehendere cursus,
Et rapidae stimulos frangere nequitiae.
Testis, Cretaei fastus quae passa iuvenci
Induit abiegnae cornua falsa bovis;
Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo,
Quae voluit liquido tota subire deo.
Crimen et illa fuit patria succensa senecta
Arboris in frondes condita Myrrha novae.
Nam quid Medeae referam quo tempore matris
Iram natorum caede piavit amor?
Quidve Clytaemnestrae, propter quam tota Mycenis
Infamis stupro stat Pelopea domus?
Tuque o Minoa venumdata, Scylla, figura,
Tondens purpurea regna paterna coma.
Hanc igitur dotem virgo desponderat hosti!
Nise, tuas portas fraude reclusit Amor.
At vos, innuptae, felicius urite taedas:
Pendet Cretaea tracta puella rate.
Non tamen immerito Minos sedet arbiter Orci:
Victor erat quamvis, aequus in hoste fuit.

XIX. [XX.]

Credis eum iam posse tuae meminisse figurae,
Vidisti a lecto quem dare vela tuo?

Durus, qui lucro potuit mutare puellam!
Tantine in lacrimis Africa tota fuit?
At tu, stulta, deos, tu fingis inania verba.
Forsitan ille alio pectus amore terat.
Est tibi forma potens, sunt castae Palladis artes,
Splendidaque a docto fama refulget avo,
Fortunata domus; modo sit tibi fidus amicus.
Fidus ero: in nostros curre, puella, toros.

XX. [XX, 11—30.]

Nox mihi prima venit; primae data tempora noctis:
Longius in primo, Luna, morare toro;
Tu quoque, qui aestivos spatiosius exigis ignes,
Phoebe, moraturae contrahe lucis iter!
Foedera sunt ponenda prius, signandaque iura,
Et scribenda mihi lex in amore novo.
Haec Amor ipse suo constringet pignera signo;
Testis sidereae tota corona deae.
Quam multae ante meis cedent sermonibus horae,
Dulcia quam nobis concitet arma Venus!
Namque, ubi non certo vincitur foedere lectus,
Non habet ultores nox violanda deos,
Et quibus imposuit, solvit nox vincla libido: —
Contineant nobis omina prima fidem!
Ergo, qui pactas in foedera ruperit aras,
Pollueritque novo sacra marita toro,
Illi sint, quicumque solent, in amore dolores,
Et caput argutae praebeat historiae;
Nec flenti dominae patefiant nocte fenestrae:
Semper amet, fructu semper amoris egens.

XX, 1 = 3. 2 = 4. 8: *torta*

XXI.

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
Ut me longa gravi solvat amore via.
Crescit enim assidue spectando cura puellae:
Ipse alimenta sibi maxima praebet amor.
Omnia sunt tentata mihi, quacumque fugari
Possit: at ex omni me premit ipse deus.
Vix tamen aut semel admittit, cum saepe negavit;
Seu venit, extremo dormit amica toro.
Unum erit auxilium mutatis, Cynthia, terris:
Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.
Nunc agite, o socii, propellite in aequora navim,
Remorumque pares ducite sorte vices;
Iungiteque extremo felicia lintea malo:
Iam liquidum nautis aura secundat iter.
Romanae turres et vos valeatis amici,
Qualiscumque mihi tuque puella vale.
Ergo ego nunc rudis Hadriaci vehar aequoris hospes,
Cogar et undisonos nunc prece adire deos!
Deinde per Ionium vectus cum fessa Lechaeo
Sedarit placida vela phaselus aqua,
Quod superest, sufferte pedes, properate laborem,
Isthmos qua terris arcet utrumque mare.
Inde ubi Piraei capient me litora portus,
Scandam ego Theseae brachia longa viae.
Illic vel studiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis, docte Epicure, tuis.
Persequar aut studium linguae, Demosthenis arma,
Librorumque, tuos, docte Menandre, sales;
Aut certe tabulae capient mea lumina pictae,
Sive ebore exactae, seu magis aere manus;
Aut spatia annorum, aut longa intervalla profundi,
Lenibunt tacito vulnera nostra sinu;

XXI, 25: spatiis

Seu moriar, fato, non turpi fractus amore;
Atque erit illa mihi mortis honesta dies.

XXII.

Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmos aqua,
Dindymus, et sacrae fabricata iuvenca Cybellae,
Raptorisque tulit qua via Ditis equos;
Si te forte iuvant Helles Athamantidos urbes,
Nec desiderio, Tulle, movere meo:
Tu licet aspicias caelum omne Atlanta gerentem,
Sectaque Persea Phorcidos ora manu,
Geryonae stabula, et luctantum in pulvere signa
Herculis Antaeique, Hesperidumque choros,
Tuque tuo Colchum propellas remige Phasim,
Peliacaeque trabis totum iter ipse legas,
Qua rudis Argoa natat inter saxa columba
In faciem prorae pinus adacta novae,
Et si, qua Ortygiae visenda est ora Caystri,
Et qua septenas temperat unda vias:
Omnia Romanae cedent miracula terrae.
Natura hic posuit, quidquid ubique fuit.
Armis apta magis tellus, quam commoda noxae,
Famam, Roma, tuae non pudet historiae.
Nam, quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus; victrices temperat ira manus.
Hic Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Umbro
Tramite, et aeternum Marcius humor opus;
Albanus lacus et socia Nemorensis ab unda,
Potaque Pollucis lympha salubris equo.
At non squamoso labuntur ventre cerastae,
Itala portentis nec fluit unda novis;
Non hic Andromedae resonant pro matre catenae,

XXII, 3: *inventa* - *ibid*: Cybebae 15: *orygae*

Nec tremis Ausonias, Phoebe fugate, dapes;
Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes,
Exitium nato matre movente suo;
Penthea non saevae venantur in arbore Bacchae;
Nec solvit Danaas subdita cerva rates;
Cornua nec valuit curvare in pellice Iuno,
Aut faciem turpi dedecorare bove:
Arboreasque cruces Sinis, et non hospita Graiis
Saxa, et curvatas in sua fata trabes.
Haec tibi, Tulle, parens, haec est pulcherrima sedes;
Hic tibi pro digna gente petendus honos.
Hic tibi ad eloquium cives, hic ampla nepotum
Spes et venturae coniugis aptus amor.

XXIII.

Ergo tam doctae nobis periere tabellae,
Scripta quibus pariter tot periere bona!
Has quondam nostris manibus detriverat usus,
Qui non signatas iussit habere fidem.
Illae iam sine me norant placare puellas,
Et quaedam sine me verba diserta loqui.
Non illas fixum caras effecerat aurum:
Vulgari buxo sordida cera fuit.
Qualescumque mihi semper mansere fideles,
Semper et effectus promeruere bonos.
Forsitan haec illis fuerant mandata tabellis:
Irascor, quoniam es, lente, moratus heri.
An tibi nescio quae visa est formosior? an tu
Non bene de nobis crimina ficta iacis?
Aut dixit: Venies hodie, cessabimus una:
Hospitium tota nocte paravit Amor.
Et quaecumque volens reperit non stulta puella,
Garrula cum blandis dicitur hora dolis.

XXII, 37: *senis* XXIII, 17; *dolens*

Me miserum, his aliquis rationem scribit avarus,
Et ponit duras inter ephemeridas!
Quas si quis mihi rettulerit, donabitur auro.
Quis pro divitiis ligna retenta velit?
I puer, et citus haec aliqua propone columna,
Et dominum Esquiliis scribe habitare tuum.

XXIV. [XXIV—XXV.]

Falsa est ista tuae, mulier, fiducia formae,
Olim oculis nimium facta superba meis.
Noster amor tales tribuit tibi, Cynthia, laudes;
Versibus insignem te pudet esse meis.
Mixtam te varia laudavi saepe figura;
Ut, quod non esses, esse putaret amor.
Et color est totiens roseo collatus Eoo;
Cum tibi quaesitus candor in ore foret.
Quod mihi non patrii poterant avertere amici,
Eluere aut vasto Thessala saga mari.
Haec ego, non ferro, non igne coactus, et ipsa
Naufragus Aegaea vera fatebar aqua.
Correptus saevo Veneris torrebar aheno;
Vinctus eram versas in mea terga manus.
Ecce coronatae portum tetigere carinae,
Traiectae Syrtes, ancora iacta mihi est.
Nunc demum vasto fessi resipiscimus aestu,
Vulneraque ad sanum nunc coiere mea.
Mens bona, si qua dea es, tua me in sacraria dono.
Exciderant surdo tot mea vota Iovi.
Risus eram positis inter convivia mensis, [XXV.]
Et de me poterat quilibet esse loquax.
Quinque tibi potui servire fideliter annos:
Ungue meam morso saepe querere fidem.
Nil moveor lacrimis: ista sum captus ab arte.

XXIV, 12: *verba fatebor*

Semper ab insidiis, Cynthia, flere soles.
Flebo ego discedens, sed fletum iniuria vincet.
Tu bene conveniens non sinis ire iugum.
Limina iam nostris valeant lacrimantia verbis;
Nec tamen irata ianua fracta manu.
At te celatis aetas gravis urgeat annis,
Et veniat formae ruga sinistra tuae!
Vellere tum cupies albos a stirpe capillos,
Ah, speculo rugas increpitante tibi.
Exclusa inque vicem fastus patiere superbos,
Et quae fecisti, facta quereris anus.
Has tibi fatalis cecinit mea pagina diras.
Eventum formae disce timere tuae.

SEX. AURELII PROPERTII
ELEGIARUM
LIBER QUINTUS. [QUARTUS.]

I.

Hoc, quodcumque vides, hospes, qua maxima Roma est,
Ante Phrygem Aeneam collis et herba fuit;
Atque ubi Navali stant sacra Palatia Phoebo,
Evandri profugae concubuere boves.
Fictilibus crevere deis haec aurea templa;
Nec fuit opprobrio facta sine arte casa.
Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat,
Et Tiberis nostris advena bubus erat.
Quo gradibus domus ista Remi se sustulit, olim
Unus erat fratrum maxima regna focus.
Curia, praetexto quae nunc nitet alta Senatu,
Pellitos habuit, rustica corda, patres.
Buccina cogebat priscos ad verba Quirites;
Centum illi in prato saepe Senatus erat.
Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro:
Pulpita sollemnis non oluere crocos.
Nulli cura fuit externos quaerere divos,
Cum tremeret patrio pendula turba sacro,
Annuaque accenso celebrare Parilia foeno,
Qualia nunc curto lustra novantur equo.

I, 1: *quam*

Vesta coronatis pauper gaudebat asellis;
Ducebant macrae vilia sacra boves.
Parva saginati lustrabant compita porci,
Pastor et ad calamos exta litabat ovis.
Verbera pellitus saetosa movebat arator,
Unde licens Fabius sacra Lupercus habet.
Nec rudis infestis miles radiabat in armis;
Miscebant usta praelia nuda sude.
Prima galeritus posuit praetoria Lycmon;
Magnaque pars Tatio rerum erat inter oves;
Hinc Titiens Ramnesque viri, Luceresque coloni,
Quattuor hinc albos Romulus egit equos.
Quippe suburbanae parva minus urbe Bovillae,
Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabi,
Et stetit Alba potens, albae suis omine nata,
Hac, ubi Fidenas longa erat ire via.
Nil patrium, nisi nomen, habet Romanus alumnus:
Sanguinis altricem non pudet esse lupam.
Huc melius profugos misisti, Troia, penates.
O quali vecta est Dardana puppis ave!
Iam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam
Laeserat abiegni venter apertus equi,
Cum pater in gnati trepidus cervice pependit,
Et verita est humeros urere flamma pios.
Tunc animi venere Deci, Brutique secures,
Vexit et ipsa sui Caesaris arma Venus,
Arma resurgentis portans victricia Troiae, —
Felix terra tuos cepit, Iule, deos!
Si modo Avernalis tremulae cortina Sibyllae
Dixit Aventino rura pianda Remo,
Aut si Pergameae sero rata carmina vatis
Longaevum ad Priami vera fuere caput:
Vertite equum, Danai! male vincitis. Ilia tellus
Vivet, et huic cineri Iuppiter arma dabit.

I, 33: eminus

Optima nutricum nostris, lupa Martia, rebus,
  Qualia creverunt moenia lacte tuo!
Moenia namque pio conor describere versu.
  Hei mihi, quod nostro est parvus in ore sonus!
Sed tamen exiguo quodcumque e pectore rivi
  Fluxerit, hoc patriae serviet omne meae.
Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
  Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua;
Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
  Umbria Romani patria Callimachi.
Scandentes si quis cernet de vallibus arces,
  Ingenio muros aestimet ille meo.
Roma, fave, tibi surgit opus; date candida cives
  Omina, et inceptis dextera cantet avis.
Sacra diesque canam et cognomina prisca locorum;
  Has meus ad metas sudet oportet equus.

Quo ruis imprudens, vage, dicere sacra Properti?
  Non sunt a dextro condita fila colo.
Aversis Musis cantas; aversus Apollo;
  Poscis ab invita verba pigenda lyra.
Certa feram certis auctoribus; haud ego vates
  Nescius aerata signa movere pila.
Me creat Archytae suboles Babylonius Horon,
  Horon, et a proavo ducta Conone domus.
Di mihi sunt testes, non degenerasse propinquos,
  Inque meis libris nil prius esse fide.
Nunc pretium fecere deos, et fallitur auro
  Iuppiter, obliquae signa iterata rotae.
Felicesque Iovis stellas Martisque rapacis,
  Et grave Saturni sidus in omne caput,
Quid moveant Pisces animosaque signa Leonis,
  Lotus et Hesperia quid Capricornus aqua,
Dicam: Troia cades, et Troica Roma resurges,
  Et maris et terrae longa sepulcra canam.
Dixi ego, cum geminos produceret Arria natos, —

Illa dabat natis arma vetante deo, —
Non posse ad patrios sua pila referre Penates:
Nempe meam firmant nunc duo busta fidem.
Quippe Lupercus, equi dum saucia protegit ora,
Heu sibi prolapso non bene cavit equo;
Gallus at, in castris dum credita signa tuetur,
Concidit ante aquilae rostra cruenta suae.
Fatales pueri, duo funera matris avarae;
Vera, sed invito, contigit ista fides.
Idem ego, cum Cinarae traheret Lucina dolores,
Et facerent uteri pondera lenta moram,
Iunonis votum facite impetrabile, dixi.
Illa parit; libris est data palma meis.
Hoc neque arenosum Libyae Iovis explicat antrum,
Aut sibi commissos fibra locuta deos,
Aut si quis motas cornicis senserit alas,
Umbra neque e magicis mortua prodit aquis.
Aspicienda via est caeli, verusque per astra
Trames, et ab Zonis quinque petenda fides.
Exemplum grave erit Calchas; namque Aulide solvit
Ille bene haerentes ad pia saxa rates.
Idem Agamemnoniae ferrum cervice puellae
Tinxit, et Atrides vela cruenta dedit.
Nec rediere tamen Danai. Tu diruta fletum
Supprime, et Euboïcos respice, Troia, sinus.
Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes,
Et natat exuviis Graecia pressa suis.
Victor Oïliade, rape nunc, et dilige vatem,
Quam vetat avelli veste Minerva sua.
Hactenus historiae. Nunc ad tua devehar astra;
Incipe tu lacrimis aequus adesse novis.
Umbria te notis antiqua penatibus edit, —
Mentior? an patriae tangitur ora tuae? —
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
Et lacus aestivis intepet Umber aquis,

I, 118: v̄este (?)

Scandentisque Asis consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.
Ossaque legisti non illa aetate legenda
Patris, et in tenues cogeris ipse Lares.
Nam tua cum multi versarent rura iuvenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox ubi bulla rudi demissa est aurea collo,
Matris et ante deos libera sumpta toga,
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro.
At tu finge elegos, fallax opus, — haec tua castra —
Scribat ut exemplo cetera turba tuo.
Militiam Veneris blandis patiere sub armis,
Et Veneris pueris utilis hostis eris.
Nam tibi victrices, quascumque labore parasti,
Eludet palmas una puella tuas;
Et bene cum fixum mento discusseris uncum, —
Nil erit hoc, — rostro te premet ansa suo.
Illius arbitrio noctem lucemque videbis;
Gutta quoque ex oculis non nisi iussa cadet.
Nec mille excubiae, nec te signata iuvabunt
Limina: persuasae fallere rima sat est.
Nunc tua vel mediis puppis luctetur in undis,
Vel licet armatis hostis inermis eas,
Vel tremefacta cavo tellus diducat hiatum:
Octipedis Cancri terga sinistra time.

II.

Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
Accipe Vertumni signa paterna dei.
Tuscus ego, et Tuscis orior; nec poenitet inter
Praelia Volsinos deseruisse focos.
Haec me turba iuvat; nec templo laetor eburno:
Romanum satis est posse videre forum.
Hac quondam Tiberinus iter faciebat; et aiunt

Remorum auditos per vada pulsa sonos.
At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
Vertumnus verso dicor ab amne deus.
Seu, quia vertentis fructum praecepimus anni,
Vertumni rursus creditur esse sacrum.
Prima mihi variat liventibus uva racemis,
Et coma lactenti spicea fruge tumet.
Hic dulces cerasos, hic auctumnalia pruna
Cernis, et aestivo mora rubere die.
Insitor hic solvit pomosa vota corona,
Cum pirus invito stipite mala tulit.
Mendax fama noces! alius mihi nominis index;
De se narranti tu modo crede deo:
Opportuna mea est cunctis natura figuris;
In quamcumque voles, verte; decorus ero.
Indue me Cois: fiam non dura puella;
Meque virum sumpta quis neget esse toga?
Da falcem, et torto frontem mihi comprime foeno:
Iurabis nostra gramina secta manu.
Arma tuli quondam, et, memini, laudabar in illis;
Corbis in imposito pondere messor eram.
Sobrius ad lites; at cum est imposta corona,
Clamabis capiti vina subisse meo.
Cinge caput mitra: speciem furabor Iacchi;
Furabor Phoebi, si modo plectra dabis.
Cassibus impositis venor; sed arundine sumpta
Faunus plumoso sum deus aucupio.
Est etiam aurigae species Vertumnus, et eius,
Traiicit alterno qui leve pondus equo.
Suppetat hoc, pisces calamo praedabor; et ibo
Mundus demissis institor in tunicis.
Pastorem ad baculum possum curare, vel idem
Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.
Nam quid ego adiiciam, de quo mihi maxima fama est,
Hortorum in manibus dona probata meis?
Caeruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre

Me notat, et iunco brassica vincta levi.
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
Impositus fronti langueat ante meae.
At mihi, quod formas unus vertebar in omnes,
Nomen ab eventu patria lingua dedit.
Et tu, Roma, meis tribuisti praemia Tuscis, —
Unde hodie vicus nomina Tuscus habet —
Tempore quo sociis venit Lycomedius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tati.
Vidi ego labentes acies et tela caduca,
Atque hostes turpi terga dedisse fugae.
Sed facias, divûm sator, ut Romana per aevum
Transeat ante meos turba togata pedes.
Sex superant versus; — te, qui ad vadimonia curris,
Non moror —; haec spatiis ultima meta meis:
STIPES ACERNUS ERAM, PROPERANTI FALCE DOLATUS,
ANTE NUMAM GRATA PAUPER IN URBE DEUS.
AT TIBI, MAMURI, FORMAE CAELATOR AHENAE,
TELLUS ARTIFICES NE TERAT OSCA MANUS,
QUI ME TAM DOCILIS POTUISTI FUNDERE IN USUS.
UNUM OPUS EST, OPERI NON DATUR UNUS HONOS.

III.

Haec Arethusa suo mittit mandata Lycotae,
Cum totiens absis, si potes esse meus.
Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
Haec erit e lacrimis facta litura meis;
Aut si qua incerto fallet te litera tractu,
Signa meae dextrae iam morientis erunt.
Te modo viderunt iteratos Bactra per ortus,
Te modo munito Noricus hostis equo,
Hibernique Getae, pictoque Britannia curru,
Ustus et Eoa discolor Indus aqua.
Haecne marita fides? hae pactae sunt mihi noctes,

II, 51: Lucumonius III, 8: *naricus* etc.

Cum rudis urgenti brachia victa dedi?
Quae mihi deductae fax omen praetulit, illa
Traxit ab everso lumina nigra rogo;
Et Stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
Vitta data est: nupsi non comitante deo.
Omnibus heu portis pendent mea noxia vota;
Texitur haec castris quarta lacerna tuis.
Occidat, immerita qui carpsit ab arbore vallum,
Et struxit querulas rauca per ossa tubas:
Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno,
Aeternusque tuam pascat, aselle, famem.
Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?
Num gravis imbelles atterit hasta manus?
Haec noceant potius, quam dentibus ulla puella
Det mihi plorandas per tua colla notas.
Diceris et macie vultum tenuasse; sed opto,
E desiderio sit color iste meo.
At mihi cum noctes induxit vesper amaras,
Si qua relicta iacent, osculor arma tua.
Tum queror, in toto non sidere pallia lecto,
Lucis et auctores non dare carmen aves.
Noctibus hibernis castrensia pensa laboro,
Et Tyria in radios vellera secta suos.
Et disco, qua parte fluat vincendus Araxes,
Quot sine aqua Parthus millia currat equus,
Cogor et e tabula pictos ediscere mundos,
Qualis et haec docti sit positura dei;
Quae tellus sit lenta gelu, quae putris ab aestu,
Ventus in Italiam qui bene vela ferat.
Assidet una soror, curis et pallida nutrix
Peierat hiberni temporis esse moras.
Felix Hippolyte! nuda tulit arma papilla,
Et texit galea barbara molle caput.
Romanis utinam patuissent castra puellis!
Essem militiae sarcina fida tuae;
Nec me tardarent Scythiae iuga, cum Pater altas

Africus in glaciem frigore nectit aquas.
Omnis amor magnus, sed aperto in coniuge maior:
Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.
Nam mihi quo? Poenis tibi purpura fulgeat ostris,
Crystallusque meas ornet aquosa manus.
Omnia surda tacent, rarisque adsueta kalendis
Vix aperit clausos una puella lares.
Glaucidos et catulae vox est mihi grata querentis:
Illa tui partem vindicat una toro.
Flore sacella tego, verbenis compita velo,
Et crepat ad veteres herba Sabina focos.
Sive in finitimo gemuit stans noctua tigno,
Seu voluit tangi parca lucerna mero,
Illa dies hornis caedem denuntiat agnis,
Succinctique calent ad nova lucra popae.
Ne, precor, ascensis tanti sit gloria Bactris,
Raptave odorato carbasa lina duci,
Plumbea cum tortae sparguntur pondera fundae,
Subdolus et versis increpat arcus equis.
Sed, tua sic domitis Parthae telluris alumnis
Pura triumphantis hasta sequatur equos!
Incorrupta mei conserva foedera lecti.
Hac ego te sola lege redisse velim.
Armaque cum tulero portae votiva Capenae,
Subscribam, SALVO GRATA PUELLA VIRO.

IV.

Tarpeium nemus et Tarpeiae turpe sepulcrum
Fabor et antiqui limina capta Iovis.
Lucus erat felix hederoso conditus antro,
Multaque nativis obstrepit arbor aquis;
Silvani ramosa domus, quo dulcis ab aestu
Fistula poturas ire iubebat oves.
Hunc Tatius fontem vallo praecingit acerno,

IV; 3: consitus

Fidaque suggesta castra coronat humo.
Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis
Cum quateret lento murmure saxa Iovis,
Atque ubi nunc terris dicuntur iura subactis,
Stabant Romano pila Sabina Foro?
Muris erant montes; ubi nunc est Curia septa,
Bellicus ex illo fonte bibebat equus.
Hinc Tarpeia deae fontem libavit: at illi
Urgebat medium fictilis urna caput. —
Et satis una malae potuit mors esse puellae,
Quae voluit flammas fallere, Vesta, tuas? —
Vidit arenosis Tatium proludere campis,
Pictaque per flavas arma levare iubas.
Obstupuit regis facie et regalibus armis,
Interque oblitas excidit urna manus.
Saepe illa immeritae causata est omina Lunae,
Et sibi tinguendas dixit in amne comas.
Saepe tulit blandis argentea lilia Nymphis,
Romula ne faciem laederet hasta Tati.
Dumque subit primo Capitolia nubila fumo,
Rettulit hirsutis brachia secta rubis;
Et sua Tarpeia residens ita flevit ab arce
Vulnera, vicino non patienda Iovi:
Ignes castrorum, et Tatiae praetoria turmae,
Et formosa oculis arma Sabina meis,
O utinam ad vestros sedeam captiva Penates,
Dum captiva mei conspicer arma Tati.
Romani montes, et montibus addita Roma,
Et valeat probro Vesta pudenda meo.
Ille equus, ille meos in castra reponet amores,
Cui Tatius dextras collocat ipse iubas.
Quid mirum in patrios Scyllam saevisse capillos,
Candidaque in saevos inguina versa canes?
Prodita quid mirum fraterni cornua monstri,
Cum patuit lecto stamine torta via?

IV, 34: ora

Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis,
Improba virgineo lecta ministra foco!
Pallados extinctos si quis mirabitur ignes,
Ignoscat: lacrimis spargitur ara meis.
Cras, ut rumor ait, tota pugnabitur urbe:
Tu cape spinosi rorida terga iugi.
Lubrica tota via est et perfida; quippe tacentes
Fallaci celat limite semper aquas.
O utinam magicae nossem cantamina Musae!
Haec quoque formoso lingua tulisset opem.
Te toga picta decet, non quem sine matris honore
Nutrit inhumanae dura papilla lupae.
Si coniux, pariamve tua regina sub aula!
Dos tibi non humilis prodita Roma venit.
Si minus, at raptae ne sint impune Sabinae!
Me rape, et alterna lege repende vices!
Commissas acies ego possum solvere; nuptae,
Vos medium palla foedus inite mea.
Adde Hymenaee modos; tubicen sera murmura conde;
Credite, vestra meus molliet arma torus.
Et iam quarta canit venturam buccina lucem,
Ipsaque in Oceanum sidera lapsa cadunt.
Experiar somnum; de te mihi somnia quaeram:
Fac venias oculis umbra benigna meis.
Dixit, et incerto permisit brachia somno,
Nescia vae furiis accubuisse novis.
Nam Vesta, Iliacae felix tutela favillae,
Culpam alit, et plures condit in ossa faces.
Illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta
Strymonis abscisso fertur aperta sinu.
Urbi festus erat — dixere Parilia patres —
Hic primus coepit moenibus esse dies;
Annua pastorum convivia, lusus in urbe,
Cum pagana madent fercula divitiis,

IV, 48: cave 68: *nefariis*

Cumque super raros foeni flammantis acervos
  Traiicit immundos ebria turba pedes.
Romulus excubias decrevit in otia solvi,
  Atque intermissa castra silere tuba.
Hoc Tarpeia, suum tempus rata, convenit hostem;
  Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.
Mons erat ascensu dubius, festoque remissus.
  Nec mora, vocalis occupat ense canes.
Omnia praebebant somnos: sed Iuppiter unus
  Decrevit poenis invigilare suis.
Prodiderat portaeque fidem, patriamque iacentem,
  Nubendique petit, quem velit ipsa, diem.
At Tatius, — neque enim sceleri dedit hostis honorem —
  Nube, ait, et regni scande cubile mei.
Dixit, et ingestis comitum superobruit armis.
  Haec, virgo, officiis dos erat apta tuis.
A duce Tarpeio mons est cognomen adeptus.
  O vigil, iniuste praemia sortis habes.

V.

Terra tuum spinis obducat, lena, sepulcrum,
  Et tua, quod non vis, sentiat umbra sitim;
Nec sedeant cineri Manes, et Cerberus ultor
  Turpia ieiuno terreat ossa sono;
Docta, vel Hippolytum Veneri mollire negantem,
  Concordique toro pessima semper avis,
Penelopen quoque, neglecto rumore mariti,
  Nubere lascivo cogeret Antinoo.
Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum,
  Et volucris nidis esse noverca suis.
Quippe et, Collinas ad fossam moverit herbas,
  Stantia currenti diluerentur aqua.

IV. 78: *immundas-dapes*

Audax cantatae leges imponere Lunae,
Et sua nocturno fallere terga lupo,
Posset et intentos astu caecare maritos;
Cornicum immeritas eruit ungue genas;
Consuluitque striges nostro de sanguine, et in me
Hippomanes fetae semina legit equae.
Exorabat opus verbis, ceu blanda perurat,
Saxosamque terat sedula culpa viam:
Si te Eoa * Dorozantum iuvat aurea ripa,
Et quae sub Tyria concha superbit aqua,
Eurypylique placet Coae textura Minervae,
Sectaque ab Attalicis putria signa toris,
Seu quae palmiferae mittunt venalia Thebae,
Murreaque in Parthis pocula cocta focis:
Sperne fidem, provolve deos, mendacia vincant,
Frange et damnosae iura pudicitiae.
Et simulare virum, pretium facit. Utere causis:
Maior dilata nocte recurret amor.
Si tibi forte comas vexaverit utilis ira,
Post modo mercata pace premendus erit.
Denique ubi amplexu Venerem promiseris empto
Fac simules puros Isidis esse dies.
Ingerat Apriles Iole tibi, tundat Amycle,
Natalem Maiis Idibus esse tuum.
Supplex ille sedet; posita tu scribe cathedra
Quidlibet; has artes si pavet ille, tenes.
Semper habe morsus circa tua colla recentes,
Litibus alternis quos putet esse datos.
Nec te Medeae delectent probra sequacis;
Nempe tulit fastus ausa rogare prior;
Sed potius mundi Thais pretiosa Menandri,
Cum ferit astutos comica moecha Getas.
In mores te verte viri: si cantica iactat,
I comes, et voces ebria iunge tuas.

V, 34: *sideris* 40: alterius

Ianitor ad dantes vigilet: si pulset inanis,
Surdus in obductam somniet usque seram.
Nec tibi displiceat miles non factus amori,
Nauta nec attrita, si ferat aera, manu,
Aut quorum titulus per barbara colla pependit,
Caelati medio cum saluere foro.
Aurum spectato, non quae manus afferat aurum.
Versibus auditis quid, nisi verba, feres?
Quid iuvat ornato procedere, vita, capillo,
Et tenues Coa veste movere sinus?
Qui versus, Coae dederit nec munera vestis,
Istius tibi sit surda sine aere lyra.
Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus,
Utere, ne quid cras libet ab ore dies.
Vidi ego odorati victura rosaria Paesti
Sub matutino cocta iacere Noto.
His animum nostrae dum versat Acanthis amicae,
* Per tenues ossa sunt numerata cutes
Sed cape torquâtae, Venus o regina, columbae
Ob meritum ante tuos guttura secta focos.
Vidi ego rugoso tussim concrescere collo,
Sputaque per dentes ire cruenta cavos:
Atque animam in tegetes putrem expirare paternas.
Horruit algenti pergula curta foco.
Exequiae fuerant rari furtiva capilli
Vincula, et immundo pallida mitra situ,
Et canis in nostros nimis experrecta dolores,
Cum fallenda meo pollice clatra forent.
Sit tumulus lenae curto vetus amphora collo;
Urgeat hunc supra vis, caprifice, tua.
Quisquis amas, scabris hoc bustum caedito saxis,
Mixtaque cum saxis addite verba mala.

V, 58: *Ipsius* 77: caedite

VI.

Sacra facit vates; sint ora faventia sacris,
  Et cadat ante meos icta iuvenca focos.
Cera Philetaeis certet Romana corymbis,
  Et Cyrenaeas urna ministret aquas.
Costum molle date, et blandi mihi turis honores,
  Terque focum circa laneus orbis eat.
Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
  Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis.
Ite procul fraudes! Alio sint aëre noxae:
  Pura novum vati laurea mollit iter.
Musa, Palatini referemus Apollinis aedem:
  Res est, Calliope, digna favore tuo.
Caesaris in nomen ducuntur carmina: Caesar
  Dum canitur, quaeso, Iuppiter ipse vaces.
Est Phoebi fugiens Athamana ad litora portus,
  Qua sinus Ioniae murmura condit aquae,
Actia Iüleae pelagus monumenta carinae,
  Nautarum votis non operosa via.
Huc mundi coiere manus; stetit aequore moles
  Pinea, nec remis aequa favebat avis.
Altera classis erat Teucro damnata Quirino,
  Pilaque feminea turpiter acta manu.
Hinc Augusta ratis plenis Iovis omine velis,
  Signaque iam patriae vincere docta suae.
Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus,
  Armorum radiis picta tremebat aqua,
Cum Phoebus linquens stantem se vindice Delon, —
  Nam tulit iratos mobilis una Notos —
Astitit Augusti puppim super, et nova flamma
  Luxit in obliquam ter sinuata facem.
Non ille attulerat crines in colla solutos,
  Aut testudineae carmen inerme lyrae;
Sed quali aspexit Pelopeum Agamemnona vultu,
  Egessitque avidis Dorica castra rogis:

Aut qualis flexos solvit Pythona per orbes
Serpentem, inbelles quem timuere lyrae.
Mox ait: O longa mundi servator ab Alba,
Auguste, Hectoreis cognite maior avis,
Vince mari: iam terra tua est: tibi militat arcus,
Et favet ex humeris hoc onus omne meis.
Solve metu patriam, quae nunc te vindice freta
Imposuit prorae publica vota tuae.
Quam nisi defendes, murorum Romulus augur
Ire Palatinas non bene vidit aves.
Et nimium remis audent; proh, turpe Latinis,
Principe te, fluctus regia vela pati!
Nec te, quod classis centenis remiget alis,
Terreat: invito labitur illa mari.
Quodque vehunt prorae Centaurica saxa minantis:
Tigna cava et pictos experiere metus.
Frangit et attolit vires in milite causa;
Quae nisi iusta subest, excutit arma pudor.
Tempus adest; committe rates; ego temporis auctor
Ducam laurigera Iulia rostra manu.
Dixerat, et pharetrae pondus consumit in arcus:
Proxima post arcus Caesaris hasta fuit.
Vincit Roma fide Phoebi; dat femina poenas;
Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.
At pater Idalio miratur Caesar ab astro:
Sum deus, et nostri sanguinis ista fides.
Prosequitur cantu Triton, omnesque marinae
Plauserunt circa libera signa deae.
Illa petit Nilum cymba male nixa fugaci,
Hoc unum, iusso non moritura die.
Di melius! quantus mulier foret una triumphus,
Ductus erat per quas ante Iugurtha vias.
Actius hinc traxit Phoebus monumenta, quod eius
Una decem vicit missa sagitta rates.
Bella satis cecini: citharam iam poscit Apollo
Victor, et ad placidos exuit arma choros.

Candida nunc molli subeant convivia luco,
Blanditiaeque fluant per mea colla rosae;
Vinaque fundantur praelis elisa Falernis,
Terque lavet nostras spica Cilissa comas.
Ingenium potis irritet Musa poetis:
Bacche, soles Phoebo fertilis esse tuo.
Ille paludosos memoret servire Sicambros;
Cepheam hic Meroën fuscaque regna canat.
Hic referat sero confessum foedere Parthum;
Reddat signa Remi: mox dabit ipse sua.
Sive aliquid pharetris Augustus parcet Eois,
Differat in pueros ista tropaea suos.
Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas;
Ire per Euphraten ad tua busta licet.
Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
Iniiciat radios in mea vina dies.

VII.

Sunt aliquid Manes: letum non omnia finit,
Luridaque evictos effugit umbra rogos.
Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro,
Murmur ad extremae nuper humata viae,
Cum mihi somnus ab exequiis penderet amoris,
Et quererer lecti frigida regna mei.
Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos,
Eosdem oculos; lateri vestis adusta fuit;
Et solitum digito beryllon adederat ignis,
Summaque Lethaeus triverat ora liquor.
Spirantisque animos et vocem misit; at illi
Pollicibus fragiles increpuere manus:
Perfide, nec cuiquam melior sperande puellae,
In te iam vires somnus habere potest?
Iamne tibi exciderant vigilacis furta Suburae,

VII, 7: *Hosdem*

Et mea nocturnis trita fenestra dolis? –
Per quam demisso quotiens tibi fune pependi,
Alterna veniens in tua colla manu!
Saepe Venus trivio commissa est, pectore mixto
Fecerunt tepidas pallia nostra vias.
Foederis heu taciti! cuius fallacia verba
Non audituri diripuere Noti.
At mihi non oculos quisquam inclinavit euntis;
Unum impetrassem, te revocante, diem.
Nec crepuit fissa me propter arundine custos,
Laesit et obiectum tegula curta caput.
Denique quis nostro curvum te funere vidit?
Atram quis lacrimis incaluisse togam?
Si piguit portas ultra procedere, at illuc
Iussisses, lectum lentius ire meum.
Cur ventos non ipse rogis, ingrate, petisti?
Cur nardo flammae non oluere meae?
Hoc etiam grave erat, nulla mercede hiacynthos
Iniicere et fracto busta piare cado.
Lygdamus uratur, candescat lamina vernae; —
Sensi ego, cum insidiis pallida vina bibi; —
At Nomas arcanas tollat versuta salivas:
Dicet damnatas ignea testa manus.
Quae modo per viles inspecta est publica noctes,
Haec nunc aurata cyclade signat humum;
Et graviora rependit iniquis pensa quasillis,
Garrula de facie si qua locuta mea est;
Nostraque quod Petale tulit ad monumenta coronas,
Codicis immundi vincula sentit anus;
Caeditur et Lalage tortis suspensa capillis,
Per nomen quoniam est ausa rogare meum.
Te patiente meae conflavit imaginis aurum,
Ardenti e nostro dotem habitura rogo.
Non tamen insector, quamvis mereare, Properti:
Longa mea in libris regna fuere tuis.
Iuro ego Fatorum nulli revolubile carmen,

Tergeminusque canis sic mihi molle sonet,
Me servasse fidem. Si fallo, vipera nostris
Sibilet in tumulis et super ossa cubet.
Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem,
Turbaque diversa remigat omnis aqua.
Una Clytaemnestrae stuprum vehit, altera Cressae
Portat mentitae lignea monstra bovis.
Ecce, coronato pars altera vecta phaselo,
Mulcet ubi Elysias aura beata rosas,
Qua numerosa fides, quaque aera rotunda Cybelles
Mitratisque sonant Lydia plectra choris.
Andromedeque et Hypermnestre sine fraude maritae
Narrant — historiae pectora nota suae —
Haec sua maternis queritur livere catenis
Brachia, nec meritas frigida saxa manus;
Narrat Hypermnestre magnum ausas esse sorores:
In scelus hoc animum non valuisse suum.
Sic mortis lacrimis vitae sanamus amores.
Celo ego perfidiae crimina multa tuae.
Sed tibi nunc mandata damus, si forte moveris,
Si te non totum Doridos herba tenet:
Nutrix in tremulis ne quid desideret annis
Parthenie: patuit, nec tibi avara fuit.
Deliciaeque meae Latris, cui nomen ab usu est,
Ne speculum dominae porrigat illa novae.
Et quoscumque meo fecisti nomine versus,
Ure mihi: laudes desine habere meas.
Pelle hederam tumulo, mihi quae pugnante corymbo
Mollia contortis alligat ossa comis.
Pomosis Anio qua spumifer incubat arvis,
Et numquam Herculeo numine pallet ebur,
Hic carmen media dignum me scribe columna,
Sed breve, quod currens vector ab urbe legat:

VII, 57: [ausaque] 61: *qua querar ut unda* 81: *Ram.— pom.*

HIC TIBURTINA IACET AUREA CYNTHIA TERRA.
ACCESSIT RIPAE LAUS, ANIENE, TUAE.
Nec tu sperne piis venientia somnia portis:
Cum pia venerunt somnia, pondus habent.
Nocte vagae ferimur; nox clausas liberat umbras;
Errat et abiecta Cerberus ipse sera.
Luce iubent leges Lethaea ad stagna reverti.
Nos vehimur; vectum nauta recenset onus.
Nunc te possideant aliae; mox sola tenebo;
Mecum eris, et mixtis ossibus ossa teram.
Haec postquam querula mecum sub lite peregit,
Inter complexus excidit umbra meos.

VIII.

Disce, quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas,
Cum vicina novis turba cucurrit agris.
Lanuvium annosi vetus est tutela draconis,
Hic ubi tam rarae non perit hora morae,
Qua sacer abripitur caeco descensus hiatu,
Qua penetrat, — virgo, tale iter omne cave! —
Ieiuni serpentis honos, cum pabula poscit
Annua, et ex ima sibila torquet humo.
Talia demissae pallent ad sacra puellae,
Cum temere anguino creditur ore manus.
Ille sibi admotas a virgine corripit escas:
Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.
Si fuerint castae, redeunt in colla parentum;
Clamantque agricolae: Fertilis annus erit.
Huc mea detonsis avecta est Cynthia mannis:
Causa fuit Iuno, sed mage causa Venus.
Appia dic, quaeso, quantum te teste triumphum
Egerit, effusis per tua saxa rotis,

VII, 85: *Tiburtina i. hac*

Turpis in arcana sonuit cum rixa taberna;
Si sine me, famae non sine labe meae.
Spectaclum ipsa sedens primo temone pependit,
Ausa per impuros frena movere locos.
Serica nam taceo volsi carpenta nepotis,
Atque armillatos colla Molossa canes,
Qui dabit immundae venalia fata saginae,
Vincet ubi erasas barba pudenda genas.
Cum fieret nostro totiens iniuria lecto,
Mutato volui castra movere toro.
Phyllis Aventinae quaedam est vicina Dianae,
Sobria grata parum; cum bibit, omne decet.
Altera Tarpeios est inter Teïa lucos,
Candida; sed potae non satis unus erit.
His ego constitui noctem lenire vocatis,
Et Venere ignota furta novare mea.
Unus erat tribus in secreta lectulus herba.
Quaeris concubitus? inter utramque fui.
Lygdamus ad cyathos, vitrique aestiva supellex,
Et Methymnaei Graeca saliva meri.
Nile tuus tibicen erat, crotalistria Phyllis,
Et facilis spargi munda sine arte rosa.
Nanus et ipse suos breviter concretus in artus
Iactabat truncas ad cava buxa manus.
Sed neque suppletis constabat flamma lucernis,
Recidit inque suos mensa supina pedes.
Me quoque per talos Venerem quaerente secundos,
Semper damnosi subsiluere canes.
Cantabant surdo, nudabant pectora caeco:
Lanuvii ad portas (hei mihi!) solus eram;
Cum subito rauci sonuerunt cardine postes,
Et levia ad primos murmura facta Lares.
Nec mora, cum totas resupinat Cynthia valvas,
Non operosa comis, sed furibunda decens.

VIII, 23: *tacto* 37: *utrique* 39: Nilotes - *choralistria*

Pocula mi digitos inter cecidere remissos,
Palluerant ipsò labra soluta mero.
Fulminat illa oculis, et, quantum femina, saevit:
Spectaclum capta nec minus urbe fuit.
Phyllidos iratos in vultum coniicit ungues;
Territa vicinas Teïa clamat aquas.
Lumina sopitos turbant elata Quirites,
Omnis et insana semita nocte sonat.
Illas direptisque comis tunicisque solutis
Excipit obscurae prima taberna viae.
Cynthia gaudet in exuviis, victrixque recurrit,
Et mea perversa sauciat ora manu,
Imponitque notam collo, morsuque cruentat,
Praecipueque oculos, qui meruere, ferit.
Atque ubi iam nostris lassavit brachia plagis,
Lygdamus ad plutei fulcra sinistra latens
Eruitur, geniumque meum prostratus adorat; —
Lygdame, nil potui: tecum ego captus eram.
Supplicibus palmis tum demum ad foedera veni,
Cum vix tangendos praebuit illa pedes,
Atque ait: Admissae si vis me ignoscere culpae,
Accipe, quae nostrae formula legis erit.
Tu neque Pompeia spatiabere cultus in umbra,
Nec cum lascivum sternet arena forum.
Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum,
Aut lectica tuae sidat aperta morae.
Lygdamus in primis, omnis mihi causa querelae,
Veneat, et pedibus vincula bina trahat.
Indixit leges. Respondi ego: Legibus utar.
Riserat imperio facta superba dato.
Dein quemcumque locum externae tetigere puellae,
Suffit, et a pura limina tergit aqua.
Imperat et totas iterum mutare lacernas,
Terque meum tetigit sulfuris igne caput.

VIII, 78: *sidet*

Atque ita, mutato per singula pallia lecto,
Despondi, et tuto solvimus arma toro.

IX.

Amphitryoniades qua tempestate iuvencos
Egerat a stabulis, o Erythea, tuis,
Venit ad invictos pecorosa Palatia montes,
Et statuit fessos, fessus et ipse, boves,
Qua Velabra suo stagnabant flumine, quaque
Nauta per urbanas velificabat aquas.
Sed non infido manserunt hospite Caco
Incolumes: furto polluit ille Iovem.
Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
Per tria partitos qui dabat ora focos.
Hic, ne certa forent manifestae signa rapinae,
Aversos cauda traxit in antra boves;
Nec sine teste deo: furem sonuere iuvenci:
Furis et implacidas diruit ira fores.
Maenalio iacuit pulsus tria tempora ramo
Cacus; et Alcides sic ait: Ite boves,
Herculis ite boves, nostrae labor ultime clavae,
Bis mihi quaesitae, bis mea praeda, boves,
Arvaque mugitu sancite boaria longo:
Nobile erit Romae pascua vestra forum.
Dixerat, et sicco torret sitis ora palato;
Terraque non ullas feta ministrat aquas.
Sed procul inclusas audit ridere puellas.
Lucus ab umbroso fecerat orbe nemus,
Femineae loca clausa deae, fontesque piandos,
Impune et nullis sacra retecta viris.
Devia puniceae velabant limina vittae,
Putris odorato luxerat igne casa,

Populus et longis ornabat frondibus aedem,
Multaque cantantis umbra tegebat aves.
Huc ruit in siccam congesto pulvere barbam,
Et iacit ante fores verba minora deo:
Vos precor, o luci sacro quae luditis antro,
Pandite defessis hospita fana viris.
Fontis egens erro, circaque sonantia lymphis,
Et cava suscepto flumine palma sat est.
Audistisne aliquem, tergo qui sustulit orbem?
Ille ego sum; Alcidem terra recepta vocat.
Quis facta Herculeae non audit fortia clavae,
Et numquam ad natas irrita tela feras,
Atque uni Stygias homini luxisse tenebras?
Accipite; haec fesso vix mihi terra patet!
Quid, si Iunoni sacrum faceretis amarae?
Non clausisset aquas ipsa noverca suas.
Sin aliquam vultusque meus, saetaeque leonis
Terrent, et Libyco sole perusta coma,
Idem ego Sidonia feci servilia palla
Officia, et Lydo pensa diurna colu;
Mollis et hirsutum cepit mihi fascia pectus,
Et manibus duris apta puella fui.
Talibus Alcides; et talibus alma Sacerdos,
Puniceo canas stamine vincta comas;
Parce oculis, hospes, lucoque abscede verendo:
Cede agedum, et tuta limina linque fuga!
Interdicta viris metuenda lege piatur,
Quae se summota vindicat ara casa.
Magno Tiresias aspexit Pallada vates,
Fortia dum posita Gorgone membra lavat.
Di tibi dent alios fontes: haec lympha puellis
Avia secreti limitis una fuit.
Sic anus; ille humeris postes concussit opacos,
Nec tulit iratam ianua clausa sitim.

IX, 33: *vana* 43: *Quod* 57: *Magnam*

At postquam exhausto iam flumine vicerat aestum,
Ponit vix siccis tristia iura labris.
Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
Accipit; haec fesso vix mihi terra patet.
Maxima quae gregibus devota est Ara repertis,
Ara per has, inquit, Maxima facta manus,
Haec nullis umquam pateat veneranda puellis,
Herculis eximii ne sit inulta sitis. —
Sancte pater salve, cui iam favet aspera Iuno;
Sancte, velis libro dexter inesse meo. —
Hunc, quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
Sic Sanctum Tatiae composuere Cures.

X.

Nunc Iovis incipiam causas aperire Feretri,
Armaque de ducibus trina recepta tribus.
Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires:
Non iuvat e facili lecta corona iugo.
Induis exemplum primae tu, Romule, palmae
Huius, et exuvio plenus ab hoste redis,
Tempore quo portas Caeninum Acronta petentem
Victor in eversum cuspide fundis equum.
Acron Herculeus Caenina ductor ab arce,
Roma, tuis quondam finibus horror erat.
Hic spolia ex humeris ausus sperare Quirini,
Ipse dedit, sed non sanguine sicca suo.
Hunc videt ante cavas librantem spicula turres
Romulus, et votis occupat ante ratis:
Iuppiter, haec hodie tibi victima corruet Acron.
Voverat: et spolium corruit ille Iovi.
Urbis virtutisque parens sic vincere suevit,

X, 6: *exuius*

Qui tulit aprico frigida castra Lare.
Idem eques et frenis, idem fuit aptus aratris,
Et galea hirsutis compta lupina iubis.
Picta neque inducto fulgebat parma pyropo;
Praebebant caesi baltea lenta boves.
Cossus at insequitur Veientis caede Tolumni,
Vincere cum Veios posse laboris erat.
Nec dum ultra Tiberim belli sonus; ultima praeda
Nomentum et captae iugera terna Corae.
O Veii veteres, et vos tum regna fuistis,
Et vestro posita est aurea sella foro:
Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat, et in vestris ossibus arva metunt.
Forte super portae dux Veïus adstitit arcem,
Colloquiumque sua fretus ab urbe dedit.
Dumque aries murum cornu pulsabat aheno,
Vinea qua ductum longa tegebat opus,
Cossus ait: Forti melius concurrere campo.
Nec mora fit: plano sistit uterque gradum.
Di Latias iuvere manus: desecta Tolumni
Cervix Romanos sanguine lavit equos.
Claudius a Rheno traiectos arcuit hostes,
Belgica cum vasti parma relata ducis
Virdumari. Genus hic Rheno iactabat ab ipso
Nobilis erectis fundere gesa rotis.
Illi virgatis iaculantis ab agmine braccis
Torquis ab incisa decidit unca gula.
Nunc spolia in templo tria condita; causa Feretri,
Omine quod certo dux ferit ense ducem.
Seu quia victa suis humeris haec arma ferebant,
Hinc Feretri dicta est ara superba Iovis.

X, 39: Eridanum 41: *Virtomani*

XI.

Desine, Paulle, meum lacrimis urgere sepulcrum:
  Panditur ad nullas ianua nigra preces.
Cum semel infernas intrarunt funera leges,
  Non exorato stant adamante viae.
Te licet orantem fuscae deus audiat aulae:
  Nempe tuas lacrimas litora surda bibent.
Vota movent Superos, — ubi portitor aera recepit,
  Obserat umbrosos lurida porta rogos.
Sic maestae cecinere tubae, cum subdita nostrum
  Detraheret lecto fax inimica caput.
Quid mihi coniugium Paulli, quid currus avorum
  Profuit, aut famae pignora tanta meae?
Num minus immites habui Cornelia Parcas?
  En sum, quod digitis quinque levatur, onus!
Damnatae noctes, et vos vada lenta paludes,
  Et quaecumque meos implicat unda pedes,
Immatura licet, tamen huc non noxia veni.
  Det pater hinc umbrae mollia iura meae.
Aut si quis posita iudex sedet Aeacus urna,
  In mea sortita iudicet ossa pila.
Assideant fratres, iuxta Minoida sellam
  Eumenidum intento turba severa foro.
Sisyphe, mole vaces; taceant Ixionis orbes;
  Fallax Tantalidae corripiare liquor.
Cerberus et nullas hodie petat improbus umbras,
  Et iaceat tacita lapsa catena sera.
Ipsa loquar pro me. Si fallo, poena sororum,
  Infelix humeros urgeat urna meos.
Si cui fama fuit per avita tropaea decori,
  Afra Numantinos regna loquuntur avos.

IX, 21: *minonida* 24: *Tantaleo* 30: *Aera*

Altera maternos exaequat turba Libones,
Et domus est titulis utraque fulta suis.
Mox, ubi iam facibus cessit praetexta maritis,
Vinxit et acceptas altera vitta comas;
Iungor, Paulle, tuo, — sic discessura! — cubili.
In lapide hoc uni nupta fuisse legar.
Testor maiorum cineres tibi, Roma, verendos,
Sub quorum titulis, Africa, tonsa iaces,
Et Persen, proavi simulantem pectus Achillis,
Quique tuas proavo fregit Achille domos:
Me neque censurae legem mollisse, nec ulla
Labe mea vestros erubuisse focos.
Non fuit exuviis tantis Cornelia damnum:
Quin erat et magnae pars imitanda domus.
Nec mea mutata est aetas; sine crimine tota est:
Viximus insignes inter utramque facem.
Mi natura dedit leges a sanguine ductas,
Ne possem melior iudicis esse metu.
Quaelibet austeras de me ferat urna tabellas:
Turpior assessu non erit ulla meo.
Vel tu, quae tardam movisti fune Cybellen,
Claudia, turritae rara ministra deae;
Vel cui, commissos cum Vesta reposceret ignes,
Exhibuit vivos carbasus alba focos.
Nec te, dulce caput, mater Scribonia, laesi.
In me mutatum quid, nisi fata, velis?
Maternis laudor lacrimis urbisque querelis,
Defensa et gemitu Caesaris ossa mea.
Ille sua nata dignam vixisse sororem
Increpat; et lacrimas vidimus ire deo.
Et tamen emerui generosos vestis honores,
Nec mea de sterili facta rapina domo.
Tu, Lepide, et tu, Paulle, meum post fata levamen!

XI, 39: Te Perseu 40: *proavus* 50: *assensu*

Condita sunt vestro lumina nostra sinu.
Vidimus et fratrem sellam geminasse curulem;
Consule quo facto tempore rapta soror.
Filia, tu specimen censurae nata paternae,
Fac teneas ūnum, nos imitata, virum.
Et serie fulcite genus. Mihi cymba volenti
Solvitur, aucturis tot mea fata malis.
Haec est feminei merces extrema triumphi,
Laudat ubi emeritum libera fama rogum.
Nunc tibi commendo, communia pignora, natos.
Haec cura et cineri spirat inusta meo.
Fungere maternis vicibus, pater. Illa meorum
Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oscula cum dederis tua flentibus, adiice matris.
Tota domus coepit nunc onus esse tuum.
Et si quid doliturus eris sine testibus illis,
Cum venient, siccis oscula falle genis.
Sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle, fatiges,
Somniaque in faciem credita saepe meam.
Atque, ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,
Ut responsurae singula verba iace.
Seu tamen adversum mutarit ianua lectum,
Sederit et nostro cauta noverca toro,
Coniugium, pueri, laudate et ferte paternum;
Capta dabit vestris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis; collata priori
Vertet in offensas libera verba suas.
Seu memor ille mea contentus manserit umbra,
Et tanti cineres duxerit esse meos,
Discite venturam iam nunc sentire senectam,
Coelibis ad curas nec vacet ulla via.
Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos!
Prole mea Paullum sic iuvet esse senem!
Et bene habet: nunquam mater lugubria sumsi;
Venit in exequias tota caterva meas.

Causa perorata est. Flentes me, surgite testes,
Dum pretium vitae grata rependit humus.
Moribus et caelum patuit; sim digna merendo,
Cuius honoratis ossa vehantur equis.

ADNOTATIO.

Notarum explicatio: *Gron.* Groninganus Codex ex collatione Ioannis Schraderi, a qua quum Francisci Modii per Nicolaum Heinsium descripta collatio discrepat, per litteras F. M. hic illic diversitas notata est. *Liv.* autem Io. Livineius, qui Posthiani nomine ex Groningano lectiones attulit. Neapolitanus (nunc Guelferbyti Nro. 224 inter codices Gudianos est) *Neap.* scribitur. *Puc.* notat correctiones Francisci Puccii, quas Bernardini Vallae codice usus editioni Rhegiensi an. 1481 intulerat. *Rheg.* est ipsa huius editionis a Puccio non mutata lectio; cuius viri adnotationem excerptam integrum nomen describit: *Puccius.*

Inscr. PROPERTII NAVTAE MEVAN' VMBRI CYNTHIA Gron. Incipit Monobyblos Propertii Aurelii nautae Puc. Nullae nec librorum nec carminum inscriptiones in Neap. insunt.

LIBER PRIMUS.

I. v. 2. Idoneis argumentis non Cupidines deos hic posse intelligi, sed amores probavit Lachmannus. — v. 4. *inpositis* Neap. — v. 6. *Improbus*, post longius spatium ad Amorem relatus et in ictu versus positus, quum conquerentis in se notionem, vel inclamantis continere pateat, exclamationis signum post se exspectare videbatur. — v. 9. *Minalion* Gron. Neap. Puc. *Milanion* scribendum esse Muretus docet. — v. 7. *toto anno;* non, integer annus est, ex quo amo; sed, nunquam non amo; uti ursa toto non mergitur anno. cf. v. 34. — v. 10. *hysiados* Gron. *iasidos* Neap. *hyasidos* Rheg. Iasis dicitur Atalanta Iasii neptis, filia Scenei. Priapeia proinde Sceneida vocant. *Puccius.* [Ergo quum meliora sciret, noluit tamen coniectura Rhegiensis lectionem mutare; versu autem 13 Hylaei se nomen ex sua auctoritate dedisse, non e codice, diserte pronunciat; hanc ob causam eius excerpta addidi, ut certius de illis correctionibus apud lecturos iudicium formari posset, cresceretque earum auctoritas.] —

v. 13. *psili* Gron. *psilli* Neap. *Hylaei* Puc. (*psili* Rheg.) *psillei* v. c. sed lego Hylaei. *Puccius.* — v. 17. *non nullas* Neap. — v. 20. *sachra* Omnes. — v. 22. *mea* Neap. man. pr. — v. 24. *cytallinis* Gron. *cythainis* Neap. *cytheinis* Rheg. *Citaeis* ab Apollonio Medea dicitur a loco in Colchide. *Puccius.* Ego, quamquam a *Citaea* adiectivum in *inus* desinens nusquam memoretur, communia tamen omnium codicum vestigia in re incerta relinquere veritus, Neapolitani lectionem, omissa adspiratione, amplexus sum. Verior Lachmanno correctio videtur: *Cytaines;* Scaliger *Cytaeis*, vulgata *Cytaeaeis* a Guyeto est. — v. 25. *At* Gron. *Et* Neap. Puc. *Aut* ab Hemsterhusio inventum recipiendum statuo; quamquam *Et* se aliquo modo tueri posse, nec ad regulam in his rebus revocandos esse antiquos ubique certus sum. — v. 29. *et* omittit Neap. — v. 31. *Deus*, qui Amor est, maiuscula scribendus erat. *annuit* Omnes; (non *adn.*) *aure*] Fortasse aura *Puccius. aure* docte exposuit Lachmannus.

II. *Ad Cynthiam* Puc. — v. 2. *tenues* Omnes; (non *tenuis*; quam formam ubi vel unus vel omnes habent, accurate additum est.) *choa* Gron. Neap. *coa* Puc. — v. 3. *oronthea* Gron. *orontaea* Puc. *mirra* Gron. Rheg. *murra* Neap. — v. 5. *pendere* F. M. — v. 7. *tue est* Gron. *tua est* Neap. — v. 9. *quos summittit* Gron. Puc. *quos summittat* Neap. — v. 10. *Et* Omnes. Ut *Perreius.* Cur autem *Et* retinendum sit, causam Lachmannus subministrat, qui ad *summittit* in versu proximo recte e nostro versu *sponte sua* pertinere iudicat. Quod si verum est, vix fieri potuerit, ut ab *ut* ad sequentia magis quam ad praecedentia nos dirigente hic versus incipiat, sed copulam *et* exspectamus. Atque laxior quidem orationis iunctura, ut in aliis multis Propertii, sic hoc loco ferenda erit. — v. 13. *collucent* Gron. Rheg. *persuadent* Neap. —

v. 14. Ut *Perreius.* — v. 16. *thelaira* Gron. *telaira* Neap. man. pr. *ilaira* Puc. et Neap. correctus. — v. 17. *ida* Neap. man. pr. *Ide* Puc. — v. 18. *Et venit* Neap. man. pr. — v. 19. *Non* Gron. *Nec* Neap. Puc. — v. 23. *vulgo* Omnes; (non *volgo*.) — v. 25. *Non ego non* Neap. man. pr., sed ab eadem manu correctum *nunc.* Sensum explicuit Lachmannus; sed tamen legendum censeo:

Non ego nunc verear, *ne sim tibi vilior istis?*
Uni si qua placet, culta puella sat est.

non tam, quod elipsis ad versum minorem aliquanto durior est, quam quia sic demum *nunc* rite intelligi potest; est enim: Quum tu te tam studiose exornes, nonne ego rivales meos verear? Nam quae uni placere vult, satis habet se huic ornare. Cautissime inde ab hac levi timoris significatione ad

eius laudes, quacum modo in gratiam redierat, augendas regreditur.

v. 29. *iocundis* Gron. Neap. *iucundis* Puc. (*iucundus* Rheg.) Burmannus ex Groningano *dictis* affert, quod de brevi illo et acuto facetiarum genere interpretarer, quod *dictorum* nomine proprie vocatur; nam poesis iam supra laudata ita a facetiarum gratae iucunditatis laude exciperetur commode.

III. *Ad Cynthiam* Rheg. — v. 2. *gnosia* Gron. Neap. *cnosia* Puc. — v. 4. *cotibus* Omnes scribunt. — v. 5. *assiduis* (non *ads.*, ut vs. 3 *accubuit*, non *adc.*, quod semel moneo) Omnes habent. — v. 6. *appidano* Omnes. — v. 7. *sperare* Neap. man. pr., sed *spirare* margo manu eadem. — v. 9. *suspiria* Gron. — v. 11. *nundum* Neap. (Rheg.) *non dum* Puc. — v. 12. *inpresso* Neap. — v. 15. *temptare* Gron. Neap. *tentare* Rheg. — v. 16. *et* omittit Gron. — v. 27. *duxit* Neap. — v. 30. *inventam* F. M. — v. 31. *praecurrens* Neap. — v. 36. *expulit* recte habet. Gravissimam enim haud dubie Propertii offensionem Cynthia vel timet vel timere se fingit; quare non exclusum ac voluntate tantum peccantem, sed vi quoque ex amicae domo expulsum, et hac *iniuria* (cf. vs. 35.) ad se remissum ait. Ceterum participium *clausis*, non quod tempore prius est, sed quod in secundariam orationis partem incidit, Graecorum more in se continet. — v. 37. *consumpsti* Omnes. — v. 38. *ei michi* Neap. —

v 39. *perducas*, quod omnes codices tuentur, prae Gryphianae editionis lectione *producas* reiicere nolui; praesertim quum noctem, sermonem, convivium producere sponte dicamur, perducere vitam autem usurpatum sit de una aetate longaeva, nulla hilaritatis adhaerescente notione. — v. 41. *purpureum* Gron. πορφύρεος θάνατος. — v. 43. vulgata *graviter* ex Menteliano et aliis est; sed *leviter* omnes codices defendunt; etiam Perreius in vetere codice esse confirmat; quod cum Burmanno de querulo susurro intelligo; idque et quod *secum* queritur adiuvat, et quod somnus est lenes puellae exspectantis querelas subsecutus. — v. 44. *in amore vias* Gron. — v. 45. *sapor* Neap. *inpulit* Neap. *iocundis* Gron. Neap. Rheg.

IV. *Ad Bassum* Rheg. — v. 4. *vivere* Gron. Rheg. *ducere* Neap. Fortasse ducere *Puccius*. — v. 5. *Antiopae* Gron. Rheg. *antiope* Neap.; quomodo, indice Lachmanno, genitivi in *ēs* finiti in eo codice exarari solent. — v. 6. *spartane* Gron. Rheg. *Spartanae* Neap. *hermione* Gron. Neap. *hermionae* Rheg. — v. 8. *sinet* Gron. *sinat* Neap. Puc. — v. 13. *color* Omnes. Potest autem *color ingenuus* nihil aliud esse, quam color verus neque fucatus; nec, quomodo hic possit a forma, non dico disiungi, vel etiam expositione, ut in Terentii Eunucho et in Ovidiana

Lucretia Fast. II, 763, addi, sed opponi coniungique cum ingenuis artibus, ego intelligo. Quapropter nihil mihi certius est, quam dedisse Propertium: *Ingenuusque calor*. Quid enim magis potest amanti acceptum esse, quam amor verus et candidus, non fictus et lucro inhians, qualem earum innuit, quas laudaverat Bassus? praesertim quum gloriari Propertius in eo soleat, quod non donis magnificis, sed arte et ingenio Cynthiae amorem pararit. —

v. 14. Vulgata: *ducere* ex codicibus interpolatis est; *dicere* omnes meliores retinent, quod etiam ego tueor, non solum Mss. auctoritate commotus, sed ratione. Nam lasciva ista natio non, quae tacita vestis gaudia occultabat, laudabant maxime, verum testes adhibere volebant oculos; neque hic is erat locus, ubi, si tamen *describere* illa gaudia volebat, simularet pudicitiam; sed nunc quidem palam proloqui ista veretur; ergo recte etiam tectioribus verbis usus est; itaque *gaudia sub tacita veste* illa dicere iam libet.

v. 15. *contempnis* Neap. — v. 17. *sciat* Gron. — v. 21. *omnis* Rheg. *illata* Gron. — v. 28. *quod* omittit Gron.

V. *Ad Gallum* Puc. — v. 3. *meae* ingeniosa Hemsterhusii correctio est; sed nolebam recipere propter vs. 6. *meos furores* vehementes amoris cruciatus recte interpretati sunt. — v. 6. *e*] *est* Neap. man. pr. — v. 7. *conlata* Neap. — v. 8. *Molliter irasci non solet illa: time* Lachmannus scribit. *tibi* ἠθικῶς intelligo. — v. 9. *tuis*] *ruis* Neap. man. pr. *votis*] *nostris* Neap. correctum *votis* ab alia manu. — v. 10. *milia* semper Omnes. — v. 11. *relinquat* Gron. — v. 15. *tremulis maestus* Gron. Rheg. *orror* Gron. — v. 16. *tremor.* Gron. *ora* Gron. — v. 20. *Disere* Gron. *domo* quibus rationibus, de ὁμοτελεύτῳ docens, Lachmannus scribi voluerit, apud eum vide. — v. 21. *nostram* Neap. man. prima. — v. 22. *sum* Liv. Groninganum habere testatur. — v. 26. *magnum nomen* propter amorem Cynthiae, non propter aliam aliquam gloriam interpretor fuisse; nunc rumor est, quia exclusus. Itaque I, 18, 7 *felicitas amantis* recte opponitur *notae,* atque alter alterum locum tuetur. — v. 28. *Quom* Gron. — v. 31. *quod* Neap. man. pr. — v. 32. Non de nihilo Marklandi coniectura est: *illa* vocata *venit*; haud enim dubie, quod mihi hanc elegiam legenti accidere solet, illi quoque viro accidit, ut, quasi Cynthiae amatores lymphatici et fascinati reddantur, quo etiam oculi demti in vs. 11. pertinent, ita illa a Propertio videatur describi.

VI. *Ad Tullum* Rheg. — v. 1. *hadriae* Gron. Rheg. — v. 3. *Cum coripeos* Neap. man. pr. — v. 4. *mennonias* Gron. — v. 7. *argutat* Gron. Neap. Rheg. accuit *Puccius*. acuit sub *Perreius*. — v. 9. *mihi iam se* quum omnes codices servent, excusandum

putabam, non scribendum cum Nic. Heinsio: *mihi se iam;* cf. III, 6, 15. *se denegat esse* Gron. — v. 10. *irato* omnes tuentur, quod fortasse et hic et I, 16, 38. passiva vi posuit; *iram* certe puellae omitti nolim, neque *tristis* satis presse hunc animi motum describit, et potius ad tristia verba minantis pertinet. *ingrato* autem, quod codices Italici praebent, si de ingrato animo intelligas, eum quidem exagitamus; si fastidiosum et molestum esse velis, aspernamur, neutrum minis terremus. — v. 14. *noscere* Gron. — v. 15. *convitia* Gron. Rheg. — v. 16. *e* *notat* Gron. — v. 17. *apposito* F. M.; oscula se non amori ait debere, sed ventis contrariis. Sic *opposita acies, nubes* absolute de hostili vel adversa dicitur. cf. Rutil. Numat. Itiner. I, 185 sqq. — *debita* Gron. Neap. *dedita* Rheg. F. debita *Puccius.* — v. 19. patri emeritas *Perreius.* — v. 20. *iura*] domus tuae insignia *Puccius.* referre sonis *Perreius.* — v. 21. *nunquam* Rheg. *cessavit* Omnes, etiam Neap. F. servivit *Puccius.* — v. 22. *et* Gron. *at* Neap. Rheg. — v. 23. *non nunquam* Gron. — v. 24. *omnia nota* omnes codices praebent. oratio latina est. Mentelianus, si non verius, elegantius certe scribit: *ultima vota,* quae non de una morte interpretor, sed de votis omnibus, quibus extrema mala tam sibi quam amicae desperans amator imprecari putandus est. Fortasse et *ultima* et *omnia* ortum est ex *amala* i. e. *ah mala.* — v. 31. *tendit* Gron. Neap. (neque aliter Rheg.) *tendis* Puc., sed *s* rursum mutato in *t,* [nisi apographum fallit. Lachm.] tendis *Perreius.*

v. 32. *tingit* Gron. Neap. *cingit* Rheg. cingit v. c. tinguit v. c. *Perreius.* — *aratra* Gron. — v. 34. Quin vitiosus versus sit, nemo dubitabit; difficilior est autem, quam falsi suspicio, inventio veri. Ego ita argumentor: In imperio iam tum Tullum fuisse, quum haec ad eum elegia mitteretur, versus 19 et 20 demonstrant. Quare non quodvis ei imperium hic auspicari Propertius, sed certum aliquod voluit. Quod quale sit, versus 22 et 30 aperiunt: in armis enim versabitur. Ex quo effici aio, ut etiam itinera versu 31 ad 33 dinumerata de bello accipienda sint. His igitur bellis parti imperii etiam Tullum partem futurum promittit. Iam vides me N. Heinsii coniecturam probare:

Ibis et asserti *pars erit imperii.*

Quod participium ex mea interpretatione, nihil, ut ut nova quaedam explicatio velut *a nobis* etc., addatur, desiderat. — v. 35. *inmemor* Neap.

VII. *Ad Ponticum* Rheg. — v. 1. ..*VM* Gron. (*Dum* Liv. teste) *Dum* Neap. *Cum* Rheg. — v. 11. *docuisse* Neap. man. pr., sed eadem manus superscripsit: *placuisse.* -- v. 16. *nolim*]

nollim Neap. Impetrare a me non potui, ut omnium codicum lectionem *eviolosse*, licet omnes *evoluisse*, varie tamen interpretantes, praetulerint, Propertio adimerem. Nam et ad analogiam *eviolasse* recte formatur, et sensus commodus est; modo *Quod* accipias absolute, ut sit propter id vel ad id; est autem minitantis oratio, in qua relativa regnant; simili sententia carmen finitur. F. evoluisse *Puccius*.

v. 20. *subiciet* Gron. Rheg. *servus* Gron. *serus* Neap. *sevus* Rheg. F. serus *Puccius*. sevus Pon. [i. e. Pontanus] *Perreius*. — v. 21. *Tunc* Gron. Rheg. *Tum* Neap. — v. 24. taces F. M. — *fenore* Neap. [an *foenore* reliqui habeant, non liquet; nam nihil notatur.]

VIII. *Ad Cynthiam* Rheg. — v. 2. *hylliria* Omnes. — v. 7. *fulcire ruinas* Omnes. Quidam reposuere sulcare pruinas, nimis duriter, quasi pedes mollissimi aratrum essent. lege fulcire: id erit subicere pedem ruituris desuper nivibus *Puccius*. — v. 11. *tirrena* Gron. *harena* Omnes. — v. 14. *proiectas* Gron. — v. 15. *hora* (o) Gron. *aura* Neap. — Verba in his distichis omnia recte habent, sed sensum vel pravum vel nullum dabunt, nisi mecum disticha versuum 13, 14 et 15, 16 ordinem mutare iusseris:

> *Nec tibi Tyrrhena solvatur funis arena;*
> *Neve inimica meas elevet aura preces,*
> *Et me defixum vacua patiatur in ora*
> *Crudelem infesta saepe vocare manu!*
> *Atque ego non videam tales subsidere ventos,*
> *Quum tibi provectas auferet unda rates!*

Ita et sensus facilis et sententiarum ordo concinnus est: Primum enim optat, ut ne per ventos navigare Cynthiae oppositos liceat, neve aura maligna se desertum in litore relinqui patiatur, (unde numina Ventos eum Aurae nomine adloqui videmus). Sin provehatur, diras se ei imprecari tempestates. Hinc iam, id est, post has minas, illa: *Sed quocumque* etc. mollem fluctuantemque amantis animum egregie depingunt, qui ne his diris infortunium in Cynthiam suam devocaverit, verens, labascit, victus est.

v. 18. *galathea* Gron. *Galatea* Puc. — v. 19. *provecta* Gron. *praevecta* Neap. *per saeva* Puc. Quae egregia lectio, in Vaticanis tantum ante inventa, nunc hanc insignem adepta auctoritatem nihil obstabat, quin reciperetur. Si *praevecta* nihilominus tuenda videbuntur, voce passiva intellige: Utinam feliciter praevecta Ceraunia, Oricos, te placido aequore accipiant; quae paullo quidem contortior oratio, sed et Latina nec indigna Propertio est. Felici emendatione planavit Lachmannus: *Vites felici* etc.

v. 20. *planidis* Gron. [si manum Schraderi assequor Lachm.] *orythos* Gron. *oriquos* Neap. *oricos* Puc. urbs epiri *Puccius.* — v. 21. *thede* Gron. *de te* Neap. *tedae* Puc. — v. 22. *lumine* Neap. Sensus est: Nullus me amor corrumpet, ut in aliquo quam tuo limine querar. seu: Fidelis etiam absenti tibi in tuo tantum limine iacens nec in aliam me domum conferens remansero. *tuo* in arsi posito fidum amorem describi intelligimus.

v. 25. *atraciis* Gron. Neap. *atratiis licet* Rheg. *Autraciis.* ita habet vetus ille codex. proinde si legatur Autariis, et Isseis recipi lectio possit. Autarii enim Appiano populi Illyridis sunt et Issa eius litoris insula. *Puccius. Autaricis* F. M. — v. 26. *hylaeis* Gron. *hileis* Neap. *heleis* Rheg. Fortasse litera *i* in Groningano et Neapolitano ad itacismum pertinet.

v. 27. Omnes codices priorem continuant. Neque Lipsii (Varr. Lectt. II, 18) vel auctoritati vel argumentis, quibus ab hoc versu novam elegiam incipiendam esse vult, ego concedo. Quo enim, quaeso, alio modo poeta orationem instituat melius, qui vicisse se precibus suis puellam Elegorum more describere voluerit? An nobis precatum se esse et exauditum narraverit? Non potius in ipsam rem nos inducet praesentem, precesque ipsas nobis audientibus fundet? Et deinde, quum se non frustra fuisse exponet, nonne exultabit, ut hic facit Propertius? Ergo propter ipsam hanc causam ad praesentem querelae Cynthiam mittuntur, a cuius iam pedibus prosiliens: *Hic erit! Hic iurata manet!* exclamat. Denique illud ipsum verbum: *iurata* praesentem rem geri evincit. Non enim iusiurandum illa aliquod miserit literis conceptum, sed verborum dulcedine mollique amantis obsequio victa non se ituram iuraverat. *erat* Neap. — v. 44. *seu*] *sive* Neap. — v. 45. *subducit* Gron. Neap. *subducet* Rheg.

IX. *Ad suum aemulum Ponticum* Rheg.

v. 4. *que vis* Gron. Neap. *quovis* Puc. — v. 7 cf. Iacobsium ad hunc locum: Blumenlese d. röm. Dichter Abth. 2. p. 150. *amore* autem in versu minori tam ad *peritum*, quam ad *rudem* pertinet; quae liberior verborum coniunctio Propertio familiaris saepissime coniecturas elicuit; cf. I, 2, 10. post etiam haud raro ad id recurrendum erit. — v. 9. *prodest* omittit

o

Gron. — v. 11. *minnermi* Neap. *mimnermi* Puc. *hom* Gron. —

v. 13. *tristeis* Puc. (Rheg. ut reliqui *tristis*). — v. 16. *In-*

u

sanis Neap. — v. 19. *tygres* Gron. Rheg. — v. 22. *Iratam* ad imperiosam Pontici puellam refero, (vide v. 4.) quam iratum imperium imprimis decet. — v. 23. *faciles* Neap. (*facilis* Gron. Rheg.)

v. 27. *deducere* Gron. *deponere* F. M. — v. 29. *donec cutis* Gron. — v. 30. *aufuge* Omnes. Vera videtur lectio *ah fuge*, quam proposuit Boltius Silv. crit. pag. 73, afferente Lachmanno. — v. 31. *possunt et* Gron. *et possint* Neap. *et possunt* Rheg. — v. 32. *ipse* Puc. — v. 33. *Quare si* Omnes. quod sive *etsi* valere putabis (nam etiam oratores *si* = *etsi* cum indicativo modo ponunt) sive (quod ego facio) Marklandum secutus explicas: si quid pudoris reliquum habes, — latinus sermo erit.

X. *Ad Gallum* Rheg.

v. 2. *Adfueram* Neap. (*Affuer.* reliqui). — v. 6. *longam moram* Gron.; quod fortasse praeferendum erat. — v. 7. *labanteis* Puc. (*labantis* Rheg.) — v. 11. *concredere* Puc. *concedere* Gron. Neap. — v. 13. *dolores* Omnes; *calores*, quod post Ianum Dousam filium alii verum esse viderunt, recipiendum putabam. Vide tamen, num forte *dolores* hanc interpretationem postulent carminis: „Quod amoris tui felicitatem mecum communicare voluisti, eius rei nunc gratiam referam; dolores enim vestros, seu inimicitias posthac inter vos factas non solum reticui, sed etiam componam.“ Nam inimicitiam amantium et vs. 15 significat, quo diversos amantes componere se posse profitetur, et omnia, quae deinceps praecepta sequuntur, eodem pertinent. Comprobat etiam totum elegiae XIII argumentum. Tum id reputandum, anne *dolorem* de vehementiori amore Propertius dicere ita voluerit, ut eandem vocem in multas alias animi perturbationes poetae transferunt, et ut eiusdem originis *cordolium* est. Similiter *dolores* III, 7, 35 omnes codices tuentur, et *dolens puella* IV, 23, 17 non minus huc videtur referenda.

v. 14. *quidam* Neap. manu pr. — v. 16. *tartas* Neap. manu pr. — v. 17. *recentis* Omnes. *recentes curae*, ut quibus macerari nondum consuevimus, acerbissimae sunt; ita *recens a volnere Dido* non solum temporis ratione recens, sed vulneris etiam cruditate et irae in Aeneam vegetae inducitur. — v. 29. *poterat* Gron. Rheg.

XI. *Ad Cynthiam* Rheg.

v. 1. *Et quid* Neap. *Cynthia*] *littora* Gron. *bais* Neap. — v. 2. *emita* Gron. — v. 3. *thesproti* Gron. Neap. *te spreti* Rheg. Tesprotum nomen proprium facio praetoris ibi agentis; ut sit ordo, Aequora subdita modo regno Tesproti. dictumque erit invidiose ut a suspicante eum rivalem, proindeque antitheto augeatur indignitas, nobiles Misenos servire regi Tesproto *Puccius*. Ex hac expositione etiam Puccii codicem *tesproti* nomen habuisse concludimus. Ingeniosam autem Iani Parrhasii correctionem: *te Protei* ob has causas reiicio: Primum, quo-

modo ad rarum *Thesproti* nomen a vulgari *Protei* aberratum sit, non video. Deinde, si attente hos versus recitaveris, pronominis *te* repetitionem non modo nihil iuvare, sed magnopere etiam orationis progressum impedire, censebis ipse. Denique ne nimis longis ambagibus a Thesproto communi Abantum Puteolanorumque parente Miseni proxima aequora nomen invenire videantur, summae coloniarum apud antiquos pietatis te memorem esse iubeo ingeniique doctorum poetarum, et prae ceteris Propertii, in his rebus antiquis et reconditis delicias quaerentium. Et num minus mirabimur *Maeoniam* vocari ab Ovidio Metam. III, 483 Tyrrheniam? — *sudita* Gron.

v. 4. *littoribus* Gron. *nobilibus* Neap. Rheg. — v. 5. *adducere* Neap. Rheg. *aducere* Gron. F. M., quod confirmat egregiam Ios. Scaligeri correctionem *ah ducere;* quae quum recta tantum male coniunctarum vocum disiunctio, non alia lectio sit, recepta a me in ipsum carminis tenorem est. Neque tamen errore saepe simili peccare Gron., tacebo. Et fortasse omnium codicum scriptura *adducere* vera est. *Cessat* nimirum Cynthia, i. e. sero, quam exspectari poterat, redit; ergo quaerit, an plane *noctes adducere* secum, i. e. domum redire oblita sit. Verba huic interpretationi non obstant. — v. 6. *Et quis* Gron. Rheg. *Ecquis* Neap.

v. 11. *teutantis* Gron. (*tentantis* F. M.) Neap. *tentantis* Rheg. Si legitur tentantis, erit ordo: lympha facilis cedere alternae manui tentantis teneat te clausam in tenui unda. si legitur teutatis [Teutantis Perreius, qui exscripsit], erit nomen balnei forte ita dicti a tutela Mercurii, qui τευτάτης [Teutantes Perreius] dicitur. *Puccius.* tentatis v. c. *Perreius. Teuthrantis*, quod recepi, rursus eiusdem Scaligeri ingenio debemus.

v. 12. *Alterna facili* Gron. — v. 13. *blandos*] *tenues* Gron. et Perreius. — v. 15. *amota* Neap. — v. 17. *perfecta* Rheg. perfecta pis. *Perreius. est* Gron. *es* Neap. Puc. — v. 18. Lachmanni correctio: *veretur amor*, nescio an non vera sit. si *timetur*, quod constanter omnes codices servant, placebit, *omnis amor* erit amor vel levissimus et ab ultima linea; cf. vs. 13, in quo morem illum invenio, quo in balneo etiam viros puellae videbant sine magna reprehensione. *in hac parte* de loco interpretor; nam non tam omnino absentia ait fidem minui, quam alibi quam Baiis Cynthiam esse mavult. — v. 20. *Attulerint. nostri* Neap.

v. 21. *An mihi non* Gron. Neap. *Aut mihi sit* Puc. — v. 22. *Haud* Gron. *Aut* reliqui. *culpa* Gron. Ausus hic sum meam coniecturam recipere; *Aut* enim Puccii mutato in *Haud* et *Haud* in minore ex Groningano assumto, dedi quod legisti; coniunctivus optative capiendus est. Praeter alias causas id

me maxime movit, quod carminum paritatem quandam Propertius admodum diligit; ut igitur vs. 17. sqq: *Non quia — sed quod*, ita nostro loco: *Haud mihi* et vs. 23: *Tu mihi* affirmative et negative locutus esse consulto videbatur, quo mutua horum versuum relatio insignior fieret. Ceterum reliquorum codicum lectio non minus rectam orationem continet, elliptice capiendam: An mihi non maior tua custodia matris-custodia? Eae lectiones saepe duriores sunt et falsae visae iniuria, velut Cic. h. D. I, 10: *nullo modo viderunt animi naturam, intelligentes, in quam figuram cadere posset.* Hoc enim uterque locus simile habet, quod contrarium eius rei praedicare videtur, quod praedicat. Sin autem quis facetus in hoc esse velit, ut isto quidem modo in quovis enunciato quidvis posse inveniri dicat, ei ego serio id respondeo: antiquos plerumque ita ordinasse orationem, ut, quum totam eam percepissemus, universae eius unam aliquam et pulchram formam contineremus animo, de singulis autem ad grammaticum sensum revocandis vocibus haud raro minus fuisse curiosos. Quam eorum naturam quum probe priorum saeculorum homines imbibissent, multas saepe partes sine ulla difficultate perceperunt recte, in quibus nunc nostra putidior interdum, quam ingeniosior interpretatio haeret. Quae eadem observatio ad reliquas artes aeque valet; quod Winkelmannus passim demonstrat et in architectura potest ostendi. Vera enim sapientia neque licenter regulas spernit, nec sectatur serviliter. Verum tamen neglexi hanc codicum lectionem, quia interrogatio minus apte inducitur in alterutro membro; etiam tum, si *non* ex compendio *.n.* (*enim*) orta dicatur.

v. 25. *amicos* Gron. — v. 28. *dabunt* Omnes; *dabant* ex codice Bononiensi reducendum censeo. — *discidium* Neap.

XII. Coniungunt cum superiore Gron. Neap. Alia elegia *Puccius.*

v. 1. *carmen* Gron. — v. 2. *Et* F. M. — v. 4. *vento* Gron. *heridano* Gron. — v. 5. *complexu* Gron. — v. 9. *Num.* Gron. (*Nunc* F. M.) et Puc. *Non* Neap. qui saepe *non* pro *num* vel
a
habet vel peccat. — v. 16. *aspersis* omittit Gron. v. 17. *colores* Neap. — v. 19. *Me* Gron. *discedere* Gron. Rheg. F. desistere *Puccius.* desistere v. c. *Perreius. dissistere* Neap.

XIII. *Ad Gallum* Rheg.

v. 2. *arrepto* Gron. — v. 3. *immitabor* Neap. — v. 5. *dereptis* Gron., ut videtur Schradero. *forma* Gron. — v. 8. *lapsus* Gron. Neap. *lassus* Puc. Fortasse lapsus *Puccius* (*lapsus* Rheg.) — *adire* Gron. Neap. *amare* Puc. F. adire *Puccius.* (*amore* Rheg.) *Adire* retineo; nam vulgo e Palatino chartaceo et mi-

noribus aliis scribunt *abire*. Verum si victum ille se primo certamine confessus abiret, actum esset de eius dolore, aliarumque solatium sibi pro more suo Gallus quaereret. Idque antea ita fecisse videtur, ut paratas relinqueret, duras non curaret; nunc vero tardis curis pallescit, victus non abit, sed alteram pugnam iam *adire incipit*.

v. 9. *Nec* Gron. — v. 10. *exiget* Gron. Neap. *exigit* Rheg. — v. 11. *Nec* Gron. — v. 13. *ego* omittit Neap. manu pr. *rubore* Gron. *augere* Neap. manu pr. — v. 15. *victum* Rheg. F. vinctum *Puccius*. quod reliqui praebent. — v. 16. *inlectis* Neap. — v. 17. *verbis* Omnes. Passeratus *in libro vetusto* eam lectionem quae vera videtur invenit: *labris*. Sed quid, si uno apice addito *verbis* optime utimur? *Et cupere* optantis *animam deponere verbis*. Hiatus fortasse obesse librariis videbatur. Haec autem *optantia verba* ad versum sequentem referenda sunt. nam nimis spurcum, *vidisse* se, quae dicere nollet, in conspectu suo fieri. — v. 18. *amore* Gron. — v. 19. *deducere* Gron. — v. 21. *aemonio* Omnes. *salamonide* Gron. *salamonida* Neap. *salmonida* Puc. — v. 22. *Trenarius* Gron.

v. 24. *in* Omnes; *ab* Scaliger, vere, ut videtur, correxit. *oetheis* Gron. Puc. *aetheis* Neap. — v. 25. *omnis* Rheg. *amantes* Omnes; Lachmannus *amores*, quod verum esse iudico. — v. 28. *aduci* Gron. *adduci* Neap. F. M. *abduci* Puc. — v. 31. *hieroinis* Gron. — v. 33. *quoniam* omittit Gron., spatio relicto. — v. 34. *Utere* Gron. Neap. *Urere* Puc. *lumine* Gron. Puc. *limine* Neap. F. limine *Puccius*. — v. 35. *Tue tibi* Gron. Interpunctionem Lachmanni sequor. — v. 36. *quocunque* Neap. *quodcunque* Gron. Puc.; recte; vulgata *quotcunque* a Iano Dousa est.

XIV. *Ad Tullum* Rheg.

v. 3. *lyntres* Gron. (Rheg.) *luntres* Puc. [si apographo fides Lachmannus] *lintres* Neap. — v. 5. Fortasse *omnisatas*. — v. 7. *contempnere* Gron. — v. 11. *Tum* Neap. et teste Liv. Gron. *Tunc*. Rheg. — v. 14. *volunt* Gron. — v. 15. *Nunquis* Gron. — v. 17. *infrignere* Gron. — v. 24. *nec* Gron. teste Liv. et Rheg. *vel* Neap. *alcinoy* Gron.

XV. *Ad Cynthiam* Rheg.

v. 1. *iura* Gron. *dura* Neap. Rheg. F. iura *Puccius*. ius summum antiqui vocabant crucem. ergo iura rigiditatem *idem*. iura et dura pro duricie *Perreius*. — v. 5. *externos* Gron. Rheg. *hesternos* Neap. Iam ante hesterna nocte compositos cum is cubitum. An externos, i. emptos, q. extrarios non tuos? *Puccius*. — v. 7. *et chois* Neap. *variare* de smaragdi atque electri vicibus intelligo in monili coniunctorum.

v. 9. *digressum* Gron., unde *digressu immota* fecit Graevius; sed negligentior istius libri scriptio, cuius iam plurima

testimonia legisti, me admonet, ut librarii potius aberrationem, quam alius lectionis indicium esse statuam. — v. 11. *incomptis* Omnes. — v. 12. *loquuta* Gron. — v. 13. *post hec* Gron. Neap. *posthac* Rheg. — v. 14. nequitiae v. c. *Perreius.* — v. 15. Lachmannus hoc distichon post versum 22 collocat; recte, ut videtur. Eius autem et Io. Schraderi argumentis observationem addam, quae quam late pateat, quibusque in rebus causam habere potuerit, nondum plane perspicio; fortasse in musices legibus quadam ex parte collocanda res est. Nam versus saepe Propertius certo quodam ordine deducit, quem periodorum nomine complectar. Ex hoc ordine hic 4 disticha sententiae primae tribuuntur, 3 disticha exemplo primo, 2 disticha exemplo secundo, singuli denique duobis ultimis, si quidem Alphesiboeam post Evadnen collocas, quod idem ille ordo iubere videtur. Neque tamen vel idem distichorum numerus semper est, vel eadem versuum ordinis ratio; in elegia sequente, ut exemplo utar, ipse vides utrumque alio modo fieri, quum sit utrumque. — *Alphisiboea* Neap. *ulcta* Gron.

v. 17. *Aesoniden* Omnes. — v. 18. *Hysiphile* Gron. Neap. *Hysiphyle* Rheg. — v. 19. *Hysiphile* Gron. *Hypsiphile* Neap. *Hysiphyle* Rheg. — v. 20. *hemonio* Gron. Neap. *aemonio* Rheg. — v. 27. *Audax ah: nimium* Neap. Ego post *Audax* distinxi, *ah - periclo* coniungens; quum enim suo periculo illam dolituram dicat, qui nunquam eam derelicturus sit, haec orationis pars ut per *nimium* gravetur postulat, non audacia.

v. 29. *Multa* Omnes. Labentur flumina a ponto *Puccius. flumina vasto ponto* de ipso fluvio oceano interpretor; quare non Mureti correctionem accipio, qui *Muti* legebat, sed quod Passeratius in codice, interpolato quidem, sed vere scriptum invenit: *Nulla.* Prius oceani cursum inhiberi, anni mutari ait, quam amare possit ipse desinere.

v. 33. *quam mihi* (*tibi* Neap.) *ne* (*nae* Puc.) *viles* Gron. Neap. Puc. nae *ναί.* Beroaldus legit quamve mihi *Puccius. Nam*, quod invenit Ernestus Schulzius, verum puto. — v. 37. *attolere* Gron. (Rheg.) *attollere* Neap. Puc. — v. 41. *moriturus* Neap. manu pr.

XVI. *Verba ianuae conquerentis* Rheg.

v. 2. De Tarpeia pudica quaerendum esse nego. In ficto Cynthiae nomine quum veras eius aedes describere non posset, nisi volebat dominae nomen prodere simul; hoc ficto aedium Tarpeiae nomine usus est, in quo aliud aio latere, velut Pompeii, qui in Saburra domum habuerat; in ea domo pudicitia nobili infesta tunc Propertio Cynthia videtur habitasse.

v. 4. *suplicibus* Gron. — v. 8. *exclusis* Omnes. Forte legendum Exclusae signa iacere facis *Puccius. exclusi* vera Lipsii emendatio est. (Varr. Lectt. III, 12.) In versu maiori monendum est, cum laude plerumque memorari, quae nobis non deesse dicamus; putabam aliquando: *Et mihi noxae sunt. pendere* ad *turpes* refero. — v. 9. *infames* ex Groningano notat Liv., non Schraderus. — v. 11. Hoc distichon Lachmannus spurium iudicat, maxime quia *Has inter* v. 13 ad *noctes* referendum ista sic interposita non patitur. Mea interpunctione videtur oratio lenius procedere. Interiecta reliquae querelae haec exclamatio est. — v. 18. noces v. c. *Perreius.* — v. 22. *Tristis* Gron. Rheg. *Turpis* Neap. — v. 23. *prona* Gron. *plena* Neap. Rheg. — v. 26. *Responde* Rheg. *carminibus* Gron. — v. 30. *calibe* Neap. *chalybe* Puc. Et chalybe, non generaliter sed specialiter dictum, ut sit ea ferri species quae azaru dicitur vulgo *Puccius.* — v. 38. *irato* Omnes. *tota* Gron. Neap. *turba* Puc. *turba* in carmine ipso posui, non tanquam verum, sed propter constantiam. Nic. Heinsius ex hac voce, quae ex Perreii codice prius nota fuit, emendat: *ingrato — torva.* quod ideo displicet, quod non petulantia est, quae torva dicit, sed truculenta ira et furor torve loquitur; contra supra exagitatis obscenis carminibus ex amussi respondent *tetra*; quod *teta* scriptum in *tota* abierat.

v. 42. noli, quod interpretes facere video, qui quidem ad manus sunt, de *gradibus* dictum putare, quibus ad domos escenditur; quorum in privatis aedibus nulla potest esse mentio. Si versus recte habet, quod nego, *imprimi gradus* dicerentur ita, ut imprimuntur vestigia. Nempe praetereuntem se substitisse atque oscula misisse se ianuae gloriaretur. Sed ego putem *gradibus* in nostro versu, et *manibus* in versu 44 mutasse locum; et habent quidam codices hic *manibus*; sic constabit utrique versui sensus purus et integer:

Osculaque impressis nixa dedi manibus. —
Debitaque occultis vota tuli gradibus. —

v. 43. Verti me, in reddendis votis, rem divinam faciens, in qua convertebantur *Puccius.* — v. 48. *deferor* Neap.

XVII. *Ad Cynthiam de maris tempestate* Rheg.

v. 1. *At* Perreius. — v. 3. *cassiope* Gron. Puc. *casiope* Neap. *carina* Gron. *carinam* Neap. *carinam est* Puc. An Cassiope ut sidus, quod sit prosperum navigantibus? an potius Cassiope ut Nereis? Nereidum enim chorus in malacia colludit medio in aequore et decurrentem interim prosequitur navim. inferius, At vos aequoreae f. d. n. c. f. s. v. c. *Puccius.* Acuta Lachmanni emendatio est: *Cassiopes statio.* Si vulgatam tenere volueris, *solito* substantivum suum in vs. minore

habebit *litore*. *Solebant* enim in Graeciam a Brundisio navigantes Cassiopes portum in montibus acroceraumiis situm ex more omnes petere. cf. Strabo VII, pag. 224 ed. pr. Casaub. Ergo Propertium quidem mercatorem ita nullum nanciscemur, si navis illis litoribus familiaris dicetur.

v. 5. *tibi* omittit Neap. manu pr. — v. 6. *increpat* Omnes; *increpet* codices Vossiani secundus ac tertius, item Vossianus Heinsii. sed hic quinque Vossianorum, quos Schraderus contulit, secundus est. — v. 8. *Hemne* Gron. — v. 11. *opponere* Gron. (sic etiam Rheg.) *reponere* Neap. Puc. reponere, caenotaphio videlicet *Puccius*. Ego *opponere* praetuli. Quomodo enim nunc Cynthia ossa reponere eius vellet, qui eam fugiebat? quem exsecrabatur? *oculis opponere* est: haud commoto animo tecum cogitare, imo etiam mortem imprecari; id enim Cynthia faciebat, atque haec, inquam, quod quidem putare se Propertius fingit, querelis suis, quod esset relicta, ei naufragium hoc ipsa imprecata erat. habet autem opponere et accusativum *fata* et infinitivum *tenere* a se dependentes; cf. III, 12, 11: *spectabis arantes et ponere.*

v. 12. *nostra tuo nulla* Gron. — v. 15. *melius* Gron. Rheg. *levius* Neap. levius, multo minus malum *Puccius*. levius v. c. i. minus malum *Perreius*. *Levius*, quod etiam Puccii codicem habere apparet, ideo reiicio, quia ad hanc vocem non vincendi verbum additurus fuisse videtur, sed tolerandi; nam leve onus, facilis victoria. — v. 24. *Ut* Omnes; *Tum* a Passeratio est, qui *Tu* in Memmiano libro invenerat; saepe illas lectiones, quae nullo bono libro firmantur, apponere omisi, nullo, ut putabam, lectoris incommodo. *pulvere* Gron. — v. 26. *solvite vota* Gron.

XVIII. *Ad Cynthiam* Rheg.

v. 3 *inpune* Neap. — v. 7. *habere moram* coniicit Huschkius ad Tibull. p. 686. — v. 9. *carmina* Omnes. crimina, ut puto *Puccius*. Idem Iustus Lipsius coniecit et in Perreio et Colotii excerptis inventum est. Neque ego magica carmina hic tolerare possum. — v. 16. *deletis* Gron. *delectis* Neap. *deiectis* Rheg.

v. 17. *calore* Gron. (sic etiam Rheg.) *colore* Neap. Puc.; quod si tueri volueris, colorem mutatum de rubore per Cynthiae suspiciones infuso interpretator, quem illa culpae proditorem, ipse parva signa nominat; eodemque versus insequens pertinebit, in quo faciem mendacii indicem esse illam dicere ait; vel intellige ex Ovid. Amor. II, 7, 9. Sed id huic explicationi obest, quod nullius culpae praesentem Cynthia insimulaverat, neque quae sequuntur hanc suspicionis speciem refellunt. Itaque sic intelligo: An quia parva signa amoris

damus? *mutato calore* causam a Cynthia additam continent: id fit propter amorem alio translatum. — v. 18. *ora* Gron. hi versus, quae parva amoris signa dixerit, aperiunt: diutius enim conticuerat Propertius. — v. 19. *ardor* Gron. (sic etiam Rheg.) *arbor* Neap. Puc. — v. 20. *amica* Neap. Rheg. *amata* Gron., nisi est error Schraderi.

v. 26. ficta *Perreius.* quae lectio, quod placere tam multis potuerit, miror. Neque enim fingenda Propertio erant, de quibus conquereretur in tantis Cynthiae peccatis; sed haec ipsa quoque *facta* superbae timidus sine querela ferebat. — v. 27. *divini fontes* Omnes. In his verbis corrigendis se omnes interpretes defatigant, immemores hoc carmen a Propertio in nemore cani solitario; cf. vs. 21. Has ait frigidas rupes pro amore sibi dari, et testes iniuriae Nymphas adhibet. Error inde natus, quia *deserta* loca in versu primo et ultimo vasta esse putarunt, quum solitaria sint; quod versus minor demonstrat: *Et v a c u u m Zephyri possidet aura nemus*, et versus quartus: *si modo s o l a queant saxa* et alia. Vallem ergo habemus reductam, rupibus cinctam, arboribus consitam, fontibus irriguam, avicularum resonantem liquidissimo cantu (v. 30), denique factam ad dulces amoris querelas, non horridam sterilisque soli lapidosam vastitatem, qualem humani generis sibi osores eligerent.

v. 31. *es* omittit Gron. *mihi* Gron. Neap. *tibi* Rheg. *resonant* Liv. ex Gron. affert, non Schraderus, nec F. M. — v. 32. *Ne* Gron. *iacent* Neap. manu pr.

XIX. *Ad Cynthiam* Rheg.

v. 4. *exequiis* Omnes. — v. 5. *nostris* Gron. Puc. *noster* Neap. *exit* Gron. *egit* F. M. — v. 7. Illic Phylacides. atqui alibi apud Ovidium Phylaceius heros, et Conveniunt matres Phylaceides et mihi dicunt, correpta prima et secunda syllaba legitur. sed Homerus Phylacen urbem in prima et secunda corripit, Phylacem vero nomen viri, qui avus fuit Protesilai patris Iphicli, producit in prima, corripit in secunda. proinde Phylaceius heros et Phylaceides matres ab urbe dicuntur et propterea corripiunt primam et secundam, hic vero Phylacides a nomine viri deducitur et proinde primam producit et secundam corripit. *οἵτ᾽ εἶχον φυλάκην καὶ Πύρασον ἀνθεμόεντα. Ἰφίκλου υἱὸν πολυμήλου Φυλακίδαο Puccius.*

v. 8. *inmemor* Neap. — v. 10. *Thessalus* Gron. Neap. *Thessalis* Puc. — v. 11. *imagho* Gron. — v. 12. *Traicit* Neap. Rheg. — Etiam inferorum regna Amor habet tyrannus; ergo tanquam dei nomen initiali maiori scribebam.

v. 15 — 20. Varie tentatos hos versus in omnibus sanos

esse aio, itaque interpretor: Omnibus heroinis a me te illic praeferri, iusti inferorum domini sinant. Quamvis diu te longa senectus (in his terris) remoratura sit, cara tamen umbra tua (ossa) meis lacrimis futura est. (*lacrimis* est casus sextus, supple effusis; i. e. lacrimabundus tamen te ad umbras descensuram excipiam. vel per me licet dicas *meis lacrimis* esse mihi lacrimanti.) Quae (i. e. quem sempiternum amorem) si tu viva sentire possis, quum ego comburor, nulla parte mihi mors tristis futura sit. At ego vereor, ne etc. — v. 17. *longe te* Neap. — v. 18. *meis* Omnes. *tuis* a Scaligero est. — v. 19. *meam favillam* F. M. — v. 20. *Tu* Neap. manu pr. — v. 22. *Abstraat* Neap. — *e* Gron. Neap. *a* Rheg.

XX. *Ad Gallum* Rheg.

v. 4. *myniis* Gron. *miniis* Neap. Puc. *dixerat* Gron. Rheg. *dixerit* Neap. — v. 6. *Thyodamanteo* Gron. *Therodamantheo* Neap. *Thyodamantaeo* Rheg. — v. 7. *Hunc* Gron. Neap. *Nunc* Rheg. Probo, qui *Silae* corrigunt; debet enim certum aliquod flumen describi, et Anio etiam per silvas fluit. — v. 8. *Sive amena.* Gron. — v. 9. *spatiaberis* Gron. *cupidis — ruinis* Gron. *cupidas — ruinas* Neap. Rheg. quum *Hunc* versu 7 codices omnes praebeant, hic casus sextus verior videtur. — v. 12. *adriacis* Gron. Neap. *hadriacis* Rheg. F. in dryasin *Puccius.* alii aliud coniecerunt; ego, quod codicum errori proximum erat: *a Dryasin* meam coniecturam recepi. amor *est* ab illis, venit, minatur. *Hydriasin* Lachmannus dedit.

v. 13. *sint duri* Neap.; interpunctio Lachmanni est. *Ne* Omnes habent, item *frigida saxa.* — v. 17. *pegase.* Gron. Neap. *pegases* Puc., quod, quamquam nominativus *Pegasa* efferri soleat, recipiendum putabam. *argon* Gron. Neap. *ar-*
e
go Puc. — v. 18. *longo* Neap. *esse* Gron. — v. 20. *adplicuisse* Neap. Puc. (*applicuisse* Rheg.) — v. 24. *frontis* Neap. — v. 26. *Zethes* Gron. *Zetus* Neap. *Zethis* Puc. — v. 30. *volucrum* Gron. — v. 31. *cessit* Gron. *cesset* Neap. Rheg. *orynthie* Gron. *orithie* Neap. *orithyiae* Puc. — v. 32. *Ah* Gron. *A* Neap. *Ita* Rheg. *hamadrias hinc* Gron. *amadrias hinc* Neap. Rheg. *Hamadryasin* qui primus dederit, ignoro. — v. 33. *arganti phlegre* Gron. *argantiphege* Neap. *arganti phegae* Rheg. Argantonini. Argantonius mons. Hesyc. in dictione *γαλῆ* *Puccius. subvertite* Neap. — v. 34. *thyniason* Gron. *thiniasin* Neap.

v. 37. *irrigido* Gron. *inriguo* Puc. — v. 40. *pertulit* Gron. — v. 45. *adcensae* Gron. — v. 47. F. texere *Puccius.* texere al. pis. [liber Pisani. Huschkius Praef. ad Tib.] *Perreius.* — v. 48. Multa mihi hunc versum suppositititium

esse videntur probare. Descriptio haec est. Hylas dextero brachio innixus leviter per facilem liquorem prolabens a Nymphis trahitur. Quae nobis non eum depingunt, qui ab editiore quodam loco subito nisu corripitur, sed eum, qui pronus a ripa leniter acclivi proximus flumini est, ita ut sensim in hoc per Nymphas vix motis aquis possit protrahi; et est decens haec omnis descriptio conveniensque Apollonio, Theocrito et Picturis Herculanensibus, IV, 6. Millin Gallerie CVI, 420. Unde ergo *tum sonitum fecit rapto corpore?* recta id quidem fronte cum praecedentibus nec minus cum sequentibus pugnat, ubi *Hercules r e s p o n s a iterat.* ea vero ad sonitum istum non possunt referri. Nec tamen haec omnis oratio a vs. 49, quod vitiosum videri possit, quidquam in se habet. quapropter in ea quidem interpretes non recte labem suspicatos esse puto, quae potius in hoc non satis prudenter efficto versu, quum verus interiisset, quaerenda erat.

v. 51. *monitis* Gron. Rheg. *monitus* Neap. monitus v. c. *Perreius. Monitus* cum Lachmanno praefero; etiam pronomen *tuos* praemissum verisimile facit subiectum, quod vocant, addendum esse, sicut *tu tuos* iungimus. — v. 52. *visus* Omnes; quod verum est: Hoc exemplo admonitus amores tuos melius servabis, alterum Hylan tuum Nymphis credere tibi visus; sive: nunc, quod alterum Hylan Nymphis te credere putabis, ages cautius. — *hylā* Neap. *hylam* Rheg.

XXI. Cum superiore coniungit Gron., non Neap. Alia elegia *Puccius.* Gallus a clade Perusina effugiens, quum per manus ignobiles caesus esset, moribundus militem, qui parem casum evadere properat, per parentum capita coniurat, ut sorori, quae gesta sint, exponat, et eam, ut ossa, si qua invenerit, lecta sepeliat, adhortetur.

v. 3. *Qui* F. M. et Liv. teste Groninganus. *Quid* Neap. Rheg. Quum de Gron. *Qui* Schraderus taceat, vulgatam retinere tutius putavi; argumentum etiam addo. nam *qui* describit oculos in Gallum convertentem militem; *quid* Galli interrogatio est, qui casum suum lamentatur, quum expavescentem edito gemitu illum in se oculos *torquere* videt; nihil a se esse timendum ait, et amicum esse et moribundum. multo ergo hoc παθητικώτερον. *proximus militiae*, ut I, 13, 29 proxima Ledae; cf. quae notavi ad Lucilii Aetnam. v. 176.

v. 5. *servato ut possint* Neap. *servato possint* Puc. [atque ita, nisi Schraderus minus attendit, Gron. Lachmannus.] Adiurantis est. ita, inquit, te salvo parentes tui fruantur. Tibul. Sic umbrosa tibi contingant tecta Priape *Puccius.* — v. 6. *Nec* Gron. *Ne* Neap. *Haec* Puc. (*Hec* Rheg.) *Haec* verum est; minus fortasse verum aliud. nam quomodo *e lacrimis* soror

scire poterit; non quidem, fratrem esse mortuum, sed ab ignotis cecidisse, quaeque alia deinceps mandata adduntur? sed *tuis lacrimis sentiat* i. e. inter tuas lacrimas (uti IV, 19, 14 *in lacrimis*) audiat; hoc dixerat Gallus. itaque puto legendum esse:

Haec soror acta tuis sentiat ut *lacrimis.*

Ut post precationem a *Sic* incipientem, et additur et omittitur pari modo cf. I, 18, 11. sin corrigere nolueris, *e* lacrimis erit *per* lacrimas, uti V, 3, 4: *Haec erit* e lacrimis *facta litura meis.*

XXII. *Ad Tullum de patria sua* Rheg.

v. 6. *Sit mihi* Omnes. Liceat mihi maxime conqueri, cuius propinquus etc. Lachmannus ex Menteliano praetulit: *Sic, mihi praecipue*, etc. *contignens* Gron.

Finis primi libri Pro. Nav. in. Secundus Gron. Propertii Aurelii Nautae liber secundus. Ad Moecenatem Rheg.

LIBER SECUNDUS.

I. v. 1. *toties* Puc. (*tociens* Rheg.) — v. 2. *molis* Gron. *in ore* Gron. et Neap. manu pr. recte tuentur; nam non unde in ora carmina veniant, quaerunt, sed cur toties in ore sint et inde veniant; saepe motum et quietem in uno eodemque verbo rectione contineri, alii adnotarunt. — v. 3. *Non haec* Gron. Neap. *Non mihi* Rheg.

v. 5. *caeis* Gron. *chois* Neap. *cois* Puc. — *cogis* Gron. Neap. *togis* Rheg. Incedere cogis. ita habet vetus is codex. alii reposuere, Sive togis illam fulgentem incedere cois. parum placet: neque enim toga muliebris est vestis, quin adeo illa ignominiam in mulieribus habebat, qua induerentur adulterii convictae. *Puccius. vidi Totum de* Vossiani quartus et quintus. Mihi nihil verius visum est, quam felicissima Lachmanni correctio: *coccis* (*cocis*); dignamque putavi, quam reciperem. Idem verissime iudicat, non posse *Sive*, quum plena apodosis sequatur, verbum *vidi* ex altero enunciato a *Seu* incipiente assumere; quare disticha transponenda necessario sunt.

v. 6. *e caea* Gron. *é choa* Neap. *e coa* Puc. — v. 10. *Mirantur* F. M. *facilis* Neap. *premit* Liv. ex Gron. — v. 11. *somnus* Gron. — v. 14. *Tunc* Rheg. *hyliadas* Gron. — v. 15. *loquuta* Gron. — v. 17, 73. *moecenas* Gron. Rheg. — v. 20. *Inpositum* Gron. *Impositam* Neap. *Impositum* Rheg. *Impositam* Vossianus primus et tertius. — *caeli* Omnes — v. 21. *Non* Rheg. *Nec* F. M. Neap. *pergam* Neap. — v. 22. *Xersis et* Gron. Neap. *Xerxis et* Rheg. *Xerxive* Lachmannus. — *cohisse* Gron. — v. 24. *Cymbrorum* Omnes. — v. 26. *foret* Gron. — v. 27.

mutinem Gron. — v. 30. *pheolomēi* Gron. *ptolomenei* Neap. *Ptholomaeaeae* Puc. (*ptholomaenei* Rheg.). verissimum fuerit Ptolemaei Lachmannus.

v. 31. *cyprum* Gron. *cyptum* Neap. *aegyptum* Rheg. Confer Lachmannum, quibus rationibus *canere inciperem et* legendum suadet. — *contractus* Gron. *cum attractus* Neap. *cum tractus* Rheg. — v. 34. *rastra* Gron. — v. 35. *contexuit* Gron. *contexerit* Neap. *contexeret* Puc. Fortasse Groningani lectio *contexuit* una vera est. Ex grammatica quidem historicum tempus posse ad coniunctivum imperfecti adiungi, certissima res est: post conditionem positam improbabilem certissime tamen dicimus aliud aliquid consequi, idque quasi iam nunc sit factum in perfecto collocamus. — *armi* Gron.

v. 36. *Te* Gron. F. M. — v. 37. Versus cum praecedentibus non cohaerent. Quapropter *testatur* Lachmannus mutari vult in: *ceu fatur*. Sed an *fandi* exempla cum accusativo personae iuncti, sensu praedicandi, usquam inveniantur, valde dubitarim. Facilis haec esset correctio:

Te mea Musa illis semper contexeret armis;
Ut sumpta et posita pace fidele caput
Theseus infernis, superis testatur Achilles,
Hic Ixioniden, ille Menoetiaden.

Verum hoc utrique emendationi, sicuti omnibus, puto, quae cuipiam in mentem venire possint, maxime obstat, quod cum Thesei et Achillis amicitia non Augusti et Maecenatis fideles animos comparaturus esset, sed se ipsum Maecenatis laudes canentem. Ex quo fit, ut ego hic quaedam excidisse censeam. — *ysyonidem* Gron. *meneciadem* Gron. *meneciaden* Neap.

v. 39. *flegreos* Neap. *encheladique* Gron. — v. 41. *praeconia* F. M. — v. 44. *Et numerat* Gron. — v. 45. *versamus* Pucc. *versantes* reliqui, quod iure Propertio Lachmannus restituit. — v. 47. *altera si datur uno* Gron. Neap. *si datur altera vivo* Rheg. Ita habet vetus codex, et ita quadrat sensus. illa altera lectio, laus altera si datur uno, suppositicia fuit his qui non assequebantur sensum *Puccius*. Verius Lachmannus iudicat.

v. 49. *Si* Omnes. — v. 50. *hyliada* Gron. — v. 51. *tangenda sint* Gron. *sunt tangenda* Neap. *sint* Rheg. — v. 54. *Colchiacis* Omnes. *Iolciacis* Scaliger correxit. *aena* Gron. aëna Puc. (*aena* Rheg.) a[t]ena sic ibi *Perreius*. — v. 57. *Omnis* Gron. *Omnes* Neap. Rheg. — v. 59. *philotethe* Gron. *cura* Neap. manu pr. — v. 60. *echyron* Gron. *phylirides* Gron. *philirides* Rheg. — v. 61. *cresis* Gron. Rheg. *craesis* Neap. — *extinctum* Omnes. — v. 63. *Missus* Neap. *hemonia* Omnes. — v. 66. *Tantalea* Gron. Rheg. *Tantelea* Neap. *Tantaleae* Beroaldus correxit; non recte, si quid video. eodem modo infra *virgineis urnis*

dolia replet; ut illic urnis implet, quae implere non possunt, sic hic manu carpit, quae carpere non potest.

v. 67. *ille idem* Gron. — v. 69. *caucasea* Gron. Rheg. *caucasia* Neap. *promothei* Gron. *Prometheus* F. M. — v. 73. *pars* ex codice Groningano praeferendum putavi: Ceteri ordines te nobis *equitem* invident, cuius splendorem honoribus omnibus anteponis; *spes* Neap. Rheg. — v. 76. *britanda* Gron. — v. 77. *illachrimans* Gron. *inlacrimans* Neap. (?) *illacrimans* Puc.

II. *Cynthiae puellae laudes* Rheg.

v. 3. divina *Perreius*. — v. 4. *ignoro* Gron. Neap. Rheg. *vel sco* superscribit Neap. F. ignosco *Puccius*. — v. 7. munichias sunt qui legunt *Puccius*. — v. 9. *hyscomachae* Gron. *lapite* Gron. *lapithe* Neap. *laphitum* Puc. *heroine* Gron. Neap. Rheg. Fortasse: Ischomaches Lapithe genus heroine *Puccius*. — v. 11. *Mercurio satis* Gron. F. M. Neap. *Mercurio sais* Puc. *Mercurioque* Vossianus secundus, nisi plures. puto: *Mercurio talis* Lachmannus. *sanctis*, quod vulgo legimus, ex Menteliano est, addita *et;* ego in hac tanta varietate, quum tamen codicum lectio recipi non posset, meam coniecturam reponere ausus sum, quae et proxime ad codices accedit, et mihi quidem, si qua alia, probabilis visa est: *Mercurio S a ï t i s*. Aegyptiorum Minervae etiam apud inferos partes tribui, neque eius a Proserpina abhorrere nomen didicimus. particulam *et* non requiro; quidni enim ita loquamur: Et qualis Hippodamia Centauris grata, Mercurio Saïtis paruit. — *bebeidos* Gron. *bobeidos* Neap. manu pr.

v. 12. *primo* Omnes. Acute admodum Turnebus *Brimo* coniecit; sed quum in *sais* et *satis* aperte falsis error quaerendus esset, nomine illic invento probam hanc vocem (primo) non corrigendam putabam. — *conposuisse* Neap. — v. 13. *iam* Gron. Puc. *etiam* Neap. — v. 14. *tunicas* Gron. Neap. *tunicam* Rheg. — v. 15. *noluit* Gron. — v. 16. *cumanae* Gron.

III. *Ad se ipsum* Puc.

v. 1. *nullum* Omnes. *nullam* Nic. Heinsius; vere, ut puto. — v. 5. *harena* Gron. — v. 10. *ut sint* Puc. *sunt* Mentelianus, Heinsianus, Vossianus secundus, quartus, quintus. —

a

v. 11. *certat* Gron. — v. 12. *natent* Neap. — v. 14. *gemme* Gron. — v. 15. *si qua arabio* Gron. Neap. *si quando araba* Puc. Eleganter correctum; esset autem si quando idem quod quandocunque, eodemque redit, quam a Propertio venisse scripturam puto: *si qua* i. e. si forte vel quandocunque. Oratio ita procedit: Cepit me Cynthia, non (quia est) pulchra, nec si forte ornate incedit, sed quod saltat et quum cantat. Vides artificiosam structuram; componit, quod amant poe-

tae, conditionalem et causalem, ut sibi *quia* pulchra est et *quod* saltat, *si forte* et *quum* respondeant. *Cepit* autem factum enarrat, praesentia tempora singula momenta adferunt. *bombice* Gron. Rheg. *bombyce* Neap.

v. 17. *formosae* Gron. *hyaccho* Gron. *iachco* Neap. manu pr. — v. 18. *evantes* Gron. Rheg. *euhantes* Neap. *adriagna* Neap. — v. 19. *temptat* Neap. — v. 22. *Carmina quae* Omnes. *lyrnes* Gron. *quivis* Neap. Rheg. *Erinnes* nomen Antonio Volsco debemus. *puta* Gron. — v. 23. *Num* Gron. Rheg. *Non* Neap. — v. 24. *Arduus* Gron. *Ardidus* Neap. *Aridus* Rheg. Ardidus, ita habet vetus is codex. *Puccius*. *Candidus* Macrobius de differentiis et societate Graeci Latinique verbi pag. 748 ed. Zeune nobis servavit; vera haud dubie lectio, quam omissa a rubricatore *C* Neap. et Puccius confirmant, *n* mutata in *r*. Idem Macrobius *augustae sternuit*. *stertuit* Gron. *sternuit* Neap. Puc. — v. 25. *tibi* omittit Neap. *contulerant* Gron. *contulerint* Neap. *contulerunt* Puc.

v. 26. *forte* Omnes. F. stulta *Puccius;* hinc in Italicos venit; qui, quomodo his aliisve thesauris usi sint, coniecturasque simul, simul codicum lectiones optimas contulerint, praeclare huius codicis accurata cognitione nunc discimus. — v. 27. *parthus sint* Gron. *partus sunt* Neap. *sunt partus* Rheg. — v. 30. *accumbens* Gron. Neap. *accumbes* Puc. — v. 32. *helenem* Gron. *reddit* Gron. Recte Lachmannus mirifice hic omnia divina humanaque ait misceri, et locum hexametros mutare iubet. Fortasse maiore etiam iure transponendos versus minores dixeris.

v. 33. *Hanc* Puc. quod non negligendum. — v. 34. *fuerit* Gron. — v. 35. *cur* Gron. — v. 40. *priamus* Gron. *priamo* Neap. *priamo* Puc. *foret* Gron. F. M. (non Mentelianus) *fuit* Neap. Rheg. Egregie de vario lectionum sensu disputantem Lachmannum adire te iubeo. *foret* ex unius Groningani fide, quem saepe in talibus errare novimus, accipere nolui. Sententia ab exemplo petita eique inhaerescens generalis est: Nunc, quod ante negabam, puellam idoneam belli causam esse intelligo, pro qua vel Achilles periret; quin ab ipso Priamo sene iure probanda illa causa fuit. — v. 41. *experūs* Gron. *ostendat* Gron. teste Liv.

IV, v. 1 — 10. superiori elegiae omnes codices adiungunt; disiunxit recte Io. Schraderus et C. Lachmannus.

v. 1. *saltem*] precor *Puccius*. *aut mihi* Omnes. *hei* coniecit Lachmannus; *ah*, quod propius a vitioso *aut* abest, recipiendum putavi. *ne quis* Puc. *alter amor* videtur de puerorum amore valere; in quem ne incidat, initio veretur, deinde,

quot et quanti in puellarum amore dolores insint secum meditatus, an non tutior sit praeferendus ille dubitat.

v. 3. *Ac* fere idem quod atqui cf. III, 6, 51. — *detrectat* Gron. Puc. *detractat* Neap. (sic et Rheg.) — v. 6. *post hac* Gron. — v. 7. *nylampus* Neap. — v. 8. *hyphicli* Gron. Rheg. *yphicli* Neap. *bovem* Gron. — v. 9. *phero* Neap. *paero* Puc. — v. 10. *amintaonia* Gron. — v. 11. *Ad amantem* Rheg. — v. 13. *inmeritos* Neap. — v. 15. *nequiquam* Neap. — v. 17. *nocentia* Gron. — v. 18. *per Medeae* Omnes. *Perimedeae* Itali correxerunt. — v. 20. *torta* Gron. *torta vel certa* F. M. — v. 23. *miramur* F. M. — v. 25. *Nam quoi ego non* Gron. — v. 27. *ille* Gron. Neap. *ipse* Rheg. — v. 29. *descendit* Gron. Rheg. *descendis* Neap. *flumina* F. M. — v. 30. *iam* Puc. — v. 32. *mitis* Gron.

V. *Ad Cynthiam* Rheg., in Neapolitano adhaeret superiori, a qua discrevit eam emendator.

v. 3. *Haec* Omnes. *mi* Gron. — v. 4. *aquilo* Omnes. Et nos aliquando prospero utemur flatu *Puccius*. *aliquo* Burmannus et Lachmannus recte scripserunt. — v. 10. *affuerit* Neap. (Gron. videtur *abfuerit* habere, ut habet Rheg.) — v. 21. *vestem* Gron. *vestes* Neap. Rheg. — v. 22. *mea*] *que* Gron. — v. 23. *conexos* Neap. — v. 26. *circuire* Gron. *circumiere* Neap. *circuiere* Puc. — v. 27. *nunquam* Gron. Neap. *non unquam* Rheg. et correctus Neap. *tua quod nunquam deleverit aetas* Broukhusius in Menteliano esse ait. — v. 28. *formapotens* — *formalevis* Puc. formapotens unum vocabulum est, sicut omnipotens. alioquin syllaba repugnaret *Puccius*. *Verba levis* reliqui omnes, etiam Perreius. — v. 29. *contempnas* Gron. Neap. *munera* Gron.

VI. Adhaeret quintae in Neap. *Ad eandem* Rheg.

v. 1. *ephereae* Neap. — v. 2. *pedes* in Menteliano et aliis legitur. — v. 4. *erictonius* Gron. Rheg. *ericthonius* Neap. — v. 5. *delectas* Neap., deleto *c* alia manu. *deletas* Rheg., in Gron. Schradero visa est *c* deleta esse. — v. 6. *Phyrne* Gron. Neap. *Phryne* Puc. — v. 9. *facies picte* Rheg. F. numina *Puccius*. — v. 11. *laedit* Gron. *ledent* Neap. Rheg. *dedit* Gron. *dabit* Neap. Rheg. — v. 12. *cum qua* Omnes; *cum quae* iure reposuit Janus Dousa filius. — v. 13. *laedunt* Gron. *ledent*. Neap. Rheg. — v. 16. *principibus* Gron. — v. 19. *extrema* Gron. — v. 20. *duro* Omnes. [*durae* Mentelianus, puto solus: nam de excerptis Modii nihil notat Heinsius nisi in notis pag. 684, quarum minor fides est, quam exempli Perreiani: Broukhusius Groningano ascribit, cui nihil usquam credi debet. Lachmannus.]

v. 23. *admoti* Gron. *ameti* Neap. *coniunx* Omnes. *ulyxis* Gron. *ulixis* Neap. *ulyssis* Rheg. — v. 24. *feri* Neap. — v. 25. Versus et hic et sequentibus carminibus asteriscis disiungen-

dos Lachmannum secutus censeo, qui ab hac inde elegia haud pauca interiisse, post etiam cum secundo tertium esse librum conglutinatum probabile facit. Optime ad sensum indagandum versuum Burmannus apposuit Liv. X, 23.

v. 26. *quid libet* Gron. (hic et v. 22.) *quidlibet* Neap. *quodlibet* Rheg. hic Mentelianus aliique *cuilibet* et elegantius et nescio an verius scribunt; Groninganus eandem lectionem subindicare videtur. — v. 29. *corrumpit* Gron. *corrupit* Neap. Rheg — v. 31. *iste* Neap. — v. 34. *Cum* Rheg. — v. 35. *inmerito* Neap. *vitiavit* Gron. — v. 39. *nil* Gron. — v. 41. *me ducet* Omnes. Propter duram numeri variationem (*nos — me*) in versu eodem Volscus (Rom. ann. 1482) *deducet*, rectius Lachmannus *diducet* scripserunt. cf. Ovid. Met. VI, 352 *ego nostros*.

VII. *Ad Cynthiam* Rheg.

v. 1. *est* Omnes. *es* correxit Io. Schraderus et P. H. Koppiersius. *sublata — lege* Gron. — v. 2. *stemus* F. M. — v. 3. *Ne* Gron. *Ni* Neap. *Quae* Puc. *amantem* Gron. *amantes* Neap. *amanteis* Puc. (*amantis* Rheg.) — v. 7. *discindere* Gron., quod fortasse verius, et propter rariorem structuram in *discedere* mutatum est; vox activa quanto hic praestet neutrali, nemo non videt; in quo tamen non nego a Graecis aeque atque a Latinis haud raro haec neutralia ibi poni, ubi nos activa scribere soleamus. — v. 8. *amore* Gron. Puc. *more* Neap. — v. 9. *transierim* Gron. — v. 11. in Puccii codice hic incipit elegia, hic vero (v. 13) in v. c. Ubaldini et Cremonensis episcopi *Perreius*.

A' mea Neap. *qualis* omnes *cynthia* Gron. Rheg. *tybia* Neap. — v. 13. *Ad Cynthiam* Gron. (ita etiam Rheg.) interstitium in Neapolitano. Una eademque elegia in antiquo codice *Puccius*. *patrii — triumphos* F. M. *Patriis triumphis* nos facile carituros certum est, et egregia Ruhnkenii correctio *Parthis*. Sensus fere eodem redit, aut: Unde mihi ea sors data sit, ut patriae filios procreem in triumphos futuros, i. e. milites ego poeta; aut *Parthis triumphis* esset clarissimis, quia de acerbissimis hostibus. — *natos* Rheg.

v. 15. *comitarent* Gron. Neap. *comitarer* Puc. quod ego iam ante hunc codicem visum scribendum esse putabam, reliquum versum ita corrigens:

Quod si in verba *meae comitarer castra puellae*,

eam ducem et auspicem secutus. milites etiam in ducis verba iurant. Liv. XXVIII, 29. — v. 18. *borestinidas* Gron.

VIII. *Ad Cynthiam* Rheg.

v. 1. ARIPITUR Gron. *Arripitur* F. M. — v. 10. *steterant* Omnes. Scaliger *steterunt* correxit, quod, quamquam haud

raro plusquamperfectum in re perfecta, quae acrius inducenda est, consulto ponitur, et hic etiam defendi potest, tamen propter appositum *fuit* recipiendum videbatur. — *vel* cum leni correctione copulat. — v. 13. *iam* Omnes. *tam* ex Vossiano quarto et quinto scribendum esse, (Groninganum habere Broukhusius ait,) verisimillimum est; sed in hoc lacero carmine nihil affirmo; distichon hoc ne sensu quidem, ut interpunctio docet, integrum est. — v. 14. *quin* Neap. — v. 15. *Et quando ne* Gron. (post quando Schradero aliquid deletum esse visum est.) *Ec quando ne* Neap. *Et quando ire* Rheg. Et quando ne tibi v. c. *Puccius.* — v. 17. Hinc novam elegiam Lachmannus incipit; mihi in his fragmentis tutius visum est, Codices sequi. Verba minantia, quae ab initio magis semper increscunt, facile in mortis consilium poetam abripere poterant, et ut ad se Cynthiamque (vs. 14 et 15), amico misso, verba promiscue dirigeret, efficere. Praeterea unam esse elegiam versus 1 et 36 inter se comparati maxime probabile faciunt.

v. 18. *morte* Gron. — v. 21. *antigone* Gron. Neap. *antigones* Puc. *boetius* Gron. Neap. — v. 23. *cum*] *tam* Gron. — v. 25. *Sed efficies* Neap. manu pr. — v. 26. *ferro eodem* Neap. — v. 27. *mors inhonesta* Horat. Sat. II, 3, 277. — v. 28. *coiuge* Gron. — v. 31. *fuga tractos* Gron. Rheg. *fugas. tractos* Neap.; quod verum puto; et ipsos fugientes et caesos deserentes socios viderat, hostes autem saevo illos ludibrio ita trahentes, ut mox equis tractus Hector narratur. Vulgo ex Hieronymi Berchemii libro *fractos* legunt, quod, quum bis idem dicatur, vel minus placet. — *littora* Puc. non incommode: *fuga tractos in litora Achivos.*

v. 32. *Ferre* Gron. — v. 35. *formosa propter bryseida* Gron. *formosa pro briseide* F. M. passus ACHILLES Gron. *passus achilles* F. M. — v. 39. *marte* Gron. Neap. *in arte* Rheg. matre vel marte. matre divino genere *Puccius;* unde non satis perspicuum, utrum verbum in codice legerit. Italici complures *matre* praebent.

IX. *Ad amicam de rivali* Rheg.

v. 1. *forae* Gron. *fors et* Neap. Rheg. — v. 2. *erepto* Gron. (ita Rheg.) *electo* Neap. *eiecto* Puc. — v. 3. *bissenos* Gron. — v. 7 *ulixem* Gron. Neap. *ulyssem* Rheg. — v. 9. *achillē* Neap. *achillem* Rheg. — v. 11. *moerens* Gron. Rheg. — v. 12. *Appositum* Gron. Rheg. *Propositum* Neap. *fluviis* Gron. (sed *s* in *o* videtur mutatum. Schraderus.) Neap. Rheg. *flavis* emendavit N. Heinsius. — v. 13. *achilli* Gron. Neap. *achillis* Puc. (*achilis* Rheg.) — v. 14. *substulit* Gron.

v. 16. *viro* Omnes. *toro* ex margine libri sui Scaliger re-

cepit, quem reliqui secuti sunt; confirmant duo Colbertini; fortasse, quum haec verba non raro confundantur, correctio vera videri possit; mihi non liquet. — v. 17. *viris* Neap. — v. 21. *duxisti* Gron. *duxistis* Neap. Puc. *luxu* Puc. — v. 25. *Nec mihi nota tuam fruar suscepta* Gron. — v. 26. *peterentur* Gron. *poterentur* Neap. Puc. — v. 27. *flentis* Gron. — v. 28. *proh* Gron. Puc. — v. 29. *longincos retineret* Gron. — v. 31. *nobis* Gron. — v. 33. *mutatur* — *Syrtis* F. M. — v. 38. *promitte* Neap. *magis*] *manu* Gron. — v. 40. *nobis* Gron. — v. 44. *sic* Neap. — v. 50. *media* fortasse ex versu sq. irrepsit, hic autem legendum: *misera.*

LIBER TERTIUS. [SECUNDUS X—XXXIV.]

Quibus argumentis hic librum tertium Lachmannus incipere iure statuerit, in eius praefatione expositum invenies.

I. Cum superioribus coniungit Gron., interstitium in Neap. interductu notavit Puc., qui tertio abhinc versu delevit verba *Ad Musam*, quae habet Rheg. Ad Augustum hanc datam elegiam nego.

v. 2. *hemonio* Gron. *haemonio* Neap. Puc. Quod frustra tentaverunt interpretes; maiorum carminum comparatio desumpta a cursu Olympico est, in quo Thessali equi plurimum valent. — v. 7. *veteres* Gron. — v. 9. *vultu*] *cultu* Gron. — v. 11. *anima* Omnes. Burmannus *anime*, sed in talibus nihil contra codicum fidem mutare ausim. *carmine* Gron. Neap. *carmina* Rheg. F. carmine *Puccius* al. carmina. pis. *Perreius.* Latissime patet apud Propertium ablativi usus, quem hic quoque ab eo venisse aio; alii *carmina* praeferentes interpungunt: *iam, carmina, sumite vires; Pierides, magni* etc.

v. 12. *erat* Gron. — v. 13. *eufrates* Gron. Fortasse: *equitum post terga tueri Parthorum.* — v. 15. *quis* Gron. Neap. *quin* Puc. — v. 17. *subtrahat* Gron. Eiusmodi coniunctivi ad particulas, etiam ubi ratio non patitur, additi rudes rudium librariorum corrigendi conatus plerumque produnt, et quae in aliis locis fides lectionibus habenda sit, aperiunt; etiam praeter frequentes calami errores in Groningano hanc manum interpolatricem grassari, paucis exemplis hic moneo: I, 9, 29: *cutis.* I, 11, 22: *Alterna facili.* I, 20, 30: *Et volucrum.* III, 4, 15: *Quod si verteris;* quia continuantur elegiae 4 et 5 in codicibus, ut transitus fieret ad personam secundam in eleg. 5. III, 7, 49: *liceat.* III, 10, 18: *genae* III, 13, 7: *superbae*, quia *Niobe* genitivus videbatur. cf. ibid. vs. 13. III, 20, 12: *saevae puellae.* Neque tamen optimas eundem codicem lectiones saepe unum nobis servare, negarim; sed caute agendum est,

ne aut bona propter indolem malam spernamus, aut lupina pro aere accipiamus.

v. 18. *Sentiat* Gron. Neap. *Sentiet* Puc. Futurum tempus maiori vatis carmini futura animo providentis convenientius videbatur, quam coniunctivus, qui optantis esset. *post mihi* Gron. — v. 19. *sequar. vates* Neap. quae vera interpunctio est, ut iam Lachmannus vidit. — v. 20. *nunc* Gron. — v. 22. *hac* Gron. Neap. *hic* Puc. id est tunc *Puccius*. — v. 23. imitatur Hesiodi ἔργα vs. 657: Ἔνθα με τὸ πρῶτον λιγυρῆς ἐπέβησαν ἀοιδῆς. — v. 25. *Nondum ascreos etiam norunt* Neap.

II. *Ad Cynthiam* Rheg. distinguunt Gron. Neap. — Neque elegiam primam finitam esse, et huius initium desiderari, certum est.

v. 2. *Laudet* Gron. Puc. *Ludet* Neap. (sed *L* est a rubricatore.) — v. 3. *secum* F. M. *tecum* Neap. Rheg. — v. 6. *hic*] *hec* Neap. correctus.

III. *De Amore* Rheg.

v. 1. *primus* Gron. Rheg. *puerum* Neap. puerum v. c. *Puccius*. — v. 9. *hamantis* Neap. — v. 10. *cnosia* Gron. Puc. *gnosia* Neap. *uterque* Neap. *iacet* Omnes; *iacit* legendum esse, ad Lucil. Aetnam, vs. 456 probavi. *pharetra gnosia* i. e. sagittis gnosiis. quod nolim ita intelligi, quasi casus mihi hic sextus videatur; est potius: pharetra ex humero pendens in utrumque latus iacit. — v. 11. *quam*] *non* Gron. *hostes* Gron. — v. 15. *e nostro* Omnes. *heu* Muretus reposuit. quid, si *e* illa interiectio sit, quam iunctam in *eheu* novimus?

v. 17. *tibi* omittit Neap. *iocundum* Gron. (*iucundum est, est* si Livineio maior fides.) Rheg. *iocundum et* Neap. *si vis* Gron. — v. 18. *pudor est* Gron. *puer est* Neap. Rheg. *trahice* Gron. *traice* Neap. Rheg. *tela tua* Gron. *puella tuo* Neap. (*loco correct.*) *tella tuo* Rheg. Si pudor est, alio traiice bella tua, ut puto *Puccius*. Si pudor est, alio traiice bella tua. sic in Cod. Puccii *Perreius*. — v. 19. *temptare* Gron.

v. 21. *perdideris* Gron. Neap. *prodideris* Puc. (*pdiderit* Rheg.) *tantet* Gron. — v. 22. *Nec* Gron. — v. 23. *Quae* Gron. *Qui* Neap. (ita Rheg.) *Quum* Puc. Qui. et in cod. puccii quum *Perreius*. — v. 24. *canit* Gron. Rheg. *canat* Neap. canat *Perreius*. Si *Qui-canat* receperis, interrogatio a versu 21 incepta (v. 22 collocato in parenthesi,) ad finem usque perget. Sed pleniorem finem mihi carmen praedicatione Musae habere videbatur, quam illa interrogatione. Sed erunt fortasse, qui hoc etiam *Quae* Groningani interpolatori reddendum affirment.

IV. *Ad Cynthiam*. Rheg.

v. 1. *achemeneis* Gron. *achimeneis* Neap. *armatum* F. M.

armatũ Gron. *armatur* Neap. *armantur* Rheg. *etrusca* F. M. Gron. Neap. *hetrusca* Rheg. Susa: ita repositum a commentatoribus. [Phil. Beroaldus 1487 ex codice Pici Mirandulani, ut ait.] tamen vetus etrusca habet. Pontanus legebat Itura et armatur. Sane Itureos sagittarios Maro, Tullius, omnes nominant *Puccius.* ethrusca v. c. Pici M. *Perreius.* propius a codicum errore abesset; *armantur Adrapsa sagittis*, quae urbs Bactriae est. *sagiptis* Gron. — v. 3. *contempnere* Gron.

v. 6. *in hismaria* Gron. *hismarias* Neap. *ismaria* Puc. — v. 8. *si* Gron. — v. 11. *iuvet* Gron. Neap. Rheg. *iuvat* Mentelianus, Vossianus secundus (qui habet *Nos iuvat*) et quintus. — v. 12. *pu .. ris* deleto *e* Gron. *pueris* Neap. *puris* Puc. — v. 15. *Quod* Gron. Rheg. *Quae* Neap. F. quae *Puccius. verteris* Gron. — v. 16. *Possim* Gron.

V. Omnes codices adiungunt priori; Hemsterhusius et alii recte disiunxerunt. Fortasse ita unam elegiam esse defendes, ut Propertium dicas, posteaquam blandimentis verborum sibi audientiam paravisset, iam timidi amoris plenissima carmina ad ipsam convertere Cynthiam; sed versus 11 et sequentes vix huc nos confugere patiantur.

vs. 3 et 5 *tunc* Omnes. — v. 7. *at sint*! Nic. Heinsius. — v. 8. *Plebei* Omnes. *obsequiae* Gron.; quod fortasse recipiendum erat. — v. 9. *Sat mea sit magni si* Gron. Neap. Rheg. sat sit magna mei *Puccius. Sat mea sat magna est* codices Italici habent; viam munit Palatinus chartaceus: *Sat mea sat magna si.*

v. 13. *Oscula quae* Neap. — v. 15. *subpositus* Neap. *cineres* F. M. — v. 18. *extincti* Omnes. — v. 19. *horrida* Gron. Neap. Rheg. arida v. c. *Puccius;* quod praeferendum videtur. Non enim terrorem, sed misericordiam vult commovere. — v. 20. *Unus* Neap. — v. 21. *hoc* Gron. [*Non — tristi* F. M.?] — v. 22. *ph . . tii* Gron. littera deleta. *pythii* Neap. *phthii* Rheg. — v. 23. Tu quoque, quando morieris, memento hoc iter ad monumentum meum, i. e. iuxta me te cura componi; (sed) senem te sepulcrum recipiat. — v. 25. *si* Gron. — v. 29. *servatur* Puc. — v. 31. *Quis tam longaevae minuisset* Omnes. Pro aliquis, ut sit ordo, minuisset quis Gallicus miles. si enim particula saepe in carmine desideratur *Puccius.* Veritus sum omnium codicum lectionem relinquere. Interpunctione mea sensus constat. Anacolutha oratio (hic propter interpositionem) maxime per particulam *si* cum plusquamperfecto tempore vel in protasi vel in apodosi non rara est. Ingeniosa et fortasse etiam vera correctio haec est: *Cui si tam longae* etc. (plene interpunge post *cinis.*) petita ex Menteliani: *Quis si tam longae.*

v. 32. *Gallicus* Omnes. *Ilius* Lachmannus, me probante, correxit. — v. 33. *ille* omittit Neap. *humari* Omnes. (vulgo *humati.*) — v. 37. *Testis qui* Omnes; *cui* reposuit Huschkius. *quondam niveum* Gron. *adonem* Gron. Neap. *adonin* Puc. — v. 38. *Venamtem* Neap. — v. 39. Liberiorem structuram notandam, non corrigendam censeo. — v. 42. *qui* Neap.

VI. *De receptione in nocte* Rheg. delevit Puccius.

v. 1. *est* Gron. Neap.; omittit Rheg. — v. 2. *laoomedontis'* Gron. — v. 3. *ulixes* Gron. Neap. — v. 5. *Non Electra suum salvum* Gron. — ad *suum*, (quod habet Rheg.) *Puccius*: non est in antiquo codice et sane superfluit etc. — *vidit* Omnes, (non *adspexit*). *orestem* Rheg. — v. 8. *Daedalium* Gron. Rheg. — v. 10. *Inmortalis* Neap. — v. 11. *Aut* Neap. manu pr. *dimissis* Gron. — v. 16. *Conditio* Puc. (*Condicio* Rheg.) — v. 19. *contennite* Gron. — v. 25. *cytarea* Gron. *cytheraea* Puc. (*cytherea* Rheg.) — v. 27. *tuas* — *aedes* Omnes; *tuam* — *aedem* Scaliger reposuit.

v. 29. *Hunc* Gron. *veniet* Gron. Neap. *veniat* Puc. recte; optat enim, ut post compositam proxima nocte pacem, Venere sua ventos praebente, subsequantur laetitiae. *littore* Gron. Neap. *littora* Puc. — v. 30. *sistat honusta* Gron. *sidat* Neap. Rheg. *sistat* Groningani omnino verum est; nam tum quum Cynthia nova culpa mutabitur, *sidet navis*, et ipse mortuus ante eius pedes iacebit; nunc quidem ne in medio cursu venti deficiant secundi, navisque *subsistat* et commoretur, precatur. *onusta* etiam, si sidere navim voles, frigebit, nunc tarditatem commode describit. — v. 31. *Que* Gron. *Quod* Neap. Puc.

VII. *Intimatio animi* Rheg.

v. 2. *delitiis* Puc. (*deliciis* Rheg.) — v. 7. *lassos* Gron. Neap. *lapsos* Puc. vide, an *lassus lento* melius respondeat. — v. 14. *menelao* Neap. — v. 17. *pretendens* Gron. *cubares* Gron. Neap. *cubaris* Puc. — v. 18. *Scixa veste manus c. meas* Gron. — v. 19. *Quin etiam et si* Gron. — v. 22. *hoc* Gron. *haec* Neap. Rheg. recte; nam non modo ad mammas, sed ad ventrem etiam rugosum refertur, qui corpus nudare nolle puellas admonet. — *periisse* F. M. — v. 24. *non* Gron. — v. 25. *catena*, iugo Veneris. *catenam* Huschkius ad Tibullum mavult. — v. 27. *vinctae* Neap. — v. 29. *Erat* Neap. — v. 34. *Arridus* Gron. — v. 35. *possit* Neap. *dolores* Omnes. *calores* reposui; confer tamen, quae ad el. I, 10, 13 observo. — v. 37. *tecum* Neap.

v. 41. *cupient* Gron., recte ad grammaticam, sed non apte ad hunc locum futurum positum. *cuperent* Neap. *vellent* Rheg. *deducere* Gron.; quam vocem, ut multo leniorem in hoc molli depingendo otio, veriorem putabam. *ducere* F. M.

decurrere reliqui. — v. 43. *neque esset* Gron. Neap. *esset neque* Rheg. — v. 44. *adryacum* Gron. — v. 45. *toties* Puc. (*tociens* Rheg.) — v. 47. *Haec* Gron. Rheg. *Nec* Neap. Verum est *haec*, i. e. haec facta, hanc vitam nostram; eodemque *nec* error Neapolitani nos ducit. Vulgo *Me* ex Menteliano legunt et Vossiano tertio.

v. 49. *liceat fructum* Gron. Nullum exemplum inveniri affirmem, ubi in hac proverbiali paene locutione (*dum licet*) a quoquam coniunctivus appositus sit; videtur potius ad versus complementum addita syllaba esse a librario. *lucet fructum* Neap. *licet fructum* Rheg. lucet v. c. *Puccius*. Quod recepi; quamquam frequentissimum *dum licet* paene facit, ut Io. Calpurnii et Ant. Volsci lectionem: *dum licet*, *hunc fructum*, quam omnes receperunt, ego quoque recipiam. Sed Propertius non tritam viam maxime eligit. — v. 50. Interpunctionem Lachmanni secutus sum. — v. 51. *alentes* Gron. — v. 52. ciathis f. *Puccius*. cyathis v. c. *Perreius*. — v. 53. *Sic magnum nobis nunc qui* Neap. *speramus* Omnes; *spiramus*, quod verum puto, a quo primo sit, ignoro. — v. 54. *castina* Gron.

VIII. *Ad Cynthiam*. Rheg.

v. 9. *consumpto* Omnes. — v. 11. *non quaerit* F. M. — v. 12. *illa* Gron. *una* Neap. Puc. — v. 15. *amicam* Rheg. — v. 16. *indignum* teste Palmerio liber Posthii, i. e. Groninganus. — v. 18. *ipso* Neap. Rheg. — v. 22. *cara* Gron. — v. 23. *sevincta* Neap. — v. 24. *tum* F. M. — v. 25. *peccaris* Gron. Puc. *peccarim* Neap. — v. 26. *lenitas* Gron. Plerumque post *fuit* in hoc versu plene interpungunt, quum tamen verba: *vulgo* in versu 25 ad *fuit* parenthesi includantur necesse sit; nam non quod omnes formosae peccent, Cynthiam potest obtestari, cui praesertim iam supra haec peccata condonarit, sed quia cum barbaro peccat. — v. 27. *exclusis* Gron. Neap. *excussis* Puc. — v. 29. *eryphila* Gron. *eriphila* Neap. *eriphyla* Rheg.; in hoc Codicum consensu nolui *Eriphyle* scribere. *amares* Gron. — v. 32. *An* Omnes. *tuis* Gron. *suis* Neap. Rheg. *dolor hic* idem est, qui superiore proximo versu *fletus* erat; hunc a Cynthiae vitiis nunquam abesse putat, vel semper se istius perfidiam ait aegre laturum. Si vis per interrogationem audire: Nullane me abs te unquam iniuria abiget, an abiget aliquando? Aliter Huschke Tib. p. 394.

v. 34. *Campi* omittit Neap. manu pr. — *mensa* Neap. — v. 35. *Ah* Gron *At* Neap. Puc.; recte; nisi perdolescet unquam, at ut pudeat saltem, ut non glorier in fide male collocata. *quod* (*aiunt*) Puc. aiunt pro ut aiunt *Puccius*. — v. 40. *extremo* Gron. Neap. *externo* Rheg. extremo v. c. *Perreius* —

v. 43. *quocunque smaragdos* Gron. — v. 45. *vidam* Gron. — v. 46. *fiet* Omnes, fiat aqua, cum tamen quae praecedens numeri esset multitudinis. sed inter duo substantiva medium verbum concordat, ut amantium irae redintegratio amoris est *Perreius. fiat* haud dubie recipiendum erat, quod inde a Scaligero omnes fecerunt. — v. 50. *dissiluisse* Gron.

IX. *De exclusione* Rheg. Coniungit Groninganus, sed dubito *Schraderus.*

v. 6. *Vel* Gron. — v. 7. *admirare* Gron. — v. 13. *iacere duro* Gron. — *iubet impia* blandissima Lachmanni scriptio est; neque tamen eius rationibus cedo. Nam haec desperationis descriptio non ita in singulis verbis premenda est, ut in mortis minatione promissa amoris fides absurda videri debeat. — v. 14. *trita* Gron. Neap. *tetra* Puc. (*tetia vena* Rheg.) *tetra* nunc hac auctoritate fulta recepi: *dura saxa*, *tetra venena.* — v. 15. *Nec* F. M. Neap. Rheg. (*Nunc* Plantiniana an. 1560, cum qua Schraderus cod. Gron. contulit.) *Nec* explicuit Lachmannus. — v. 16. *per imosas* Neap.

X. *Ad Cynthiam* Rheg.

v. 3. *vidistis* Neap. — v. 5. *Quid si iam canis aetas me* (*mea* Rheg.) *candeat* F. M. Gron. Rheg. *Quid mea si canis aetas canesceret* Neap. — v. 6. *faciat* F. M. Gron. *faceret* Neap., Rheg. Ceterum est haec elegia fluctuantis amantium animi commoda descriptio, quae Terentianam Parmenonis scholam in mentem revocat. Quod enim optime fieri primis duobus distichis confirmat, eius contrarium in toto carmine agit, ut perfidiam Cynthiae incuset, donec in ultimo disticho propositi memor ad initium redit. — v. 7. *An non* Neap. Rheg. — v. 9. *in undis* Omnes; quod Beroaldum secuti *in ulnis* mutarunt, sed vera codicum lectio est. Aurora enim ναῖε παρ' Ὠκεανοῖο ῥοῇς, atque illic Tithonum ἀτίταλλεν ἐνὶ μεγάροισιν ἔχουσα. Hom. Hymn. in Ven. v. 227 sqq. — v. 10. *Quam primum* Gron. *adiunctos* Gron. Rheg. *advinctos* Neap. Etiam hic, obsecuti Scaligero *abiunctos* malunt, quam adiunctos; sed illa domum reversa, priusquam equos abiunxit et lavit, fovit maritum, adiuncti ergo erant. — v. 13. *excedens* Gron. *inequos* Neap. — v. 14. *ac* Gron. — v. 15. *Cum* Rheg. — v. 18. *genae* Gron. — v. 20. *aut* Neap. — v. 21. *diminuo* Rheg.

XI. Hinc novam elegiam incipere Kuinoel et Lachmannus viderunt; quem adire te iubeo. Codices priori uno tenore adiungunt.

v. 2. *extremo* Gron. Rheg. *externo* Neap. — v. 3. *est* Gron. Neap.; Rheg. omittit. — v. 7. Deme v. c. tolle istas ementitas comas *Perreius. De me* Neap. *mi* Gron. *michi* Neap. *mihi*

Rheg. — v. 8. *satis* Omnes. *sat es* N. Heinsius. — v. 9. Apparet hoc distichon, quod hic omnes codices collocant, sua sede elisum esse, ego cum Scaligero post primum distichon reponendum censeo; Lachmannus post secundum legi mavult. Ceterum ultimos sex versus alius cuiusdam carminis fragmentum, nec huius loci esse, quivis attentius lecturus mecum, ut puto, iudicabit. — v. 16. *terram* Omnes; *terras* cum Guyeto scribendum.

XII. *Ad Cynthiam* Rheg.

v. 2. *colis* Omnes. *coles* Mentelianus. *sine me* commate inclusi, ne dicati gaudeo, quod deviorum locorum comitem me esse noluisti; sed ut sit: gaudeo, quod, quum ego absim, sola tamen futura es. — v. 5. *ornetur* Gron. — v. 7. *expectabis* Neap. — v. 13. *feres* Gron. Neap. *fides* Rheg. feres f. *Puccius. tura*] *rara* Neap. manu pr. — v. 14. *agrestis* Gron. Neap. hic locus et pauci praeterea alii descriptos hos codices ostendunt ex talibus, in quibus hi accusativi in *is* formati erant; malui tamen eos, uti nunc sunt, fideliter sequi, quam quidquam novare. — v. 14. *corruet* Neap. Gron. *corruat* Puc. — v. 21. *temerare* Gron. quod quasi in re nefanda poetaeque docto nunquam concessa audacia optime dici videtur. Et fortasse, quum eam vocem spernebam, nimia mea in hoc codice cautio erat. — *temptare* Neap. Rheg.

v. 24. *aves* Gron. — v. 25. *clitūtus* Neap. — v. 29. *solet potuerunt avertere* Gron. — v. 31. Iacobsius (Blumenlese a. d. Röm. Dichtern) propter nominum usum in rebus magicis a Propertio ea mutari et ipse dubitanter profert, neque ego possum accedere. nam ut unum memorem, cur in hac re sibi *absenti* timet? Quam autem reliqui in his versibus sententiam inveniunt, (Etiamsi in solitudine versor, non tamen tuo te nomine vocare audeo, ne quis mihi absenti in amore nocere velit;) si paullo accuratius inquisiveris, omnino vanam atque inutilem invenies. Nam quid bellam hanc inventionem, si tamen fecerat, Cynthiae scripsisse attinebat? tum in fine dulcissimi carminis? Sed num unquam eam suo nomine celebraverat? Et quam hic, fere dicam, puerilis timor est, ne quis proferentem se Cynthiae nomen exaudiat! Quid, si audierit? Num eam ob causam istam quidem se velle amare, in mentem venire cuiquam potuerit? Et fac, in mentem veniat; ubi quaeret? possum alia addere, non minus gravia. Sed proximi, unde venimus, versus: *Tu quoties* etc., ut hanc solitudinem non Propertii, sed Cynthiae dici putemus, postulant; haec ipsa, ait, solitudo tua curam eximere mihi non potest, quin, absenti mihi ne quis noceat — quid? nimirum metuam. Id ergo repono:

Quin ego in assidua metuam *tua nomina lingua,*
Absenti nemo ne nocuisse velit.

nomina tua in assidua lingua metuo ita explico: pulchritudinis ac doctrinae tuae fama, quae in omnium ore est, ut te satis occultare potuerit, timeo. Duplicem rectionem et accusativi et coniunctionis *ne* non cuiquam arbitror molestam iri visum. — v. 32. *ne* Gron. Rheg. *non* Neap.

XIII. *Ad Cynthiam* Rheg.

v. 7. *niobe* Puc. (*niobae* Rheg.) *superbae* Gron. *superbe* Neap. *superba* Puc. — v. 8. *lachrimas* Gron. *lacrimas* Neap. Puc. (*lachrymas* Rheg.) f. lacrimans *Puccius*. Lacrimans pis. *Perreius*. defluit lacrimas, poetice, flendo demittit *Puccius*. *asiphilo* Gron. *asyphilo* Neap. Rheg. — v. 10. *danes* Gron. *modo* Gron. *domo* Neap. Puc. — *tua* Iacobsius suadet (*Blumenl.*) — v. 12. *stasiliamque* Gron. Neap. *trasiliamque* Rheg. — v. 13. *absurdas miseri dicatur in aures* Gron. — v. 16. *falso* Neap. manu pr. *heu* omittit Gron. — v. 23. 24. *non unquam* Neap., quod puto recipiendum fuisse. — v. 29. *Tum* Omnes. — *erynnides* Gron. *erinies* Neap. *erinnydes* Rheg. *Poena* (Furor) videtur initiali maiore scribenda. — v. 32. *sysipheo* Neap. — v. 35 et 36. Gron. omittit; neque mihi Propertio digni videntur.

XIV. *Ad Cynthiam de Pantho* Rheg.

v. 1. *An* F. M. *At* Scaliger, Heinsius. *panti* et v. 2. *panto* Gron. — v. 10. *martitus* Gron. — v. 11. *quando* Neap. *quondam* margo a manu prima habet. — v. 12. *tenuit — domum* Gron. *tenuis — domo* F. M. Neap. Rheg. Beroaldus reposuit, Eiecta est: tenuit namque creusa domum. quidam Hippotae, nonnulli Creontis filiam dicunt uxorem duxisse Iasonem. discrepant etiam de nomine puellae, Creontis filiae. Clitodamus enim vocatam esse ait Creusam, ut etiam Propertius, sed nuptam tradit Xutho. Anaxicrates Glaucam nominat. Euripides in tragoedia Medea nomen puellae reticet, in argumento tamen fabulae Glaucam ponit. securior autem mihi videtur lectio eorum, qui excepta est tenui etc. emendaverunt, quam Beroaldi: nullum enim idoneum satis sensum mihi videtur referre. Iason enim cum apud Euripidem Medeae se purgat, divortii causam habet paupertatem: cumque vellet in meliori fortuna aetatem agere, coactum se tradit regis filiam uxorem accipere, ne sibi ad victum sibi necessaria deficerent reliquumque aetatis posset feliciter agere *Puccius*.

v. 13. *est delusa* Gron. Abrupta distichi oratio ne quem in Propertio moretur, supra hortatus sum. Si intolerabilem hic esse ais, lege:

Sic a dulichio iuvene et dea lusa *Calypso*

et est *vel.* — v. 17. Interpunctio a Lachmanno est. Sed malim, quod e Groningano et Palatino Burmannus affert: *Hinc quoque quî restat?* Hinc quoque est, *ita delusa* a Pantho, quomodo resistit? Nimirum alter quaeritur. Nam non *huic*, Pantho resistendum ait, (qui eam deseruerat) sed amoris illecebris; confer sequentia. Quapropter, etiam si *huic* in codicibus est, tamen *hinc* emendatione scribendum est.

XV. *Ad Heremum Demophoontem* Puc. Ad Heremium. sic in c. pis. *Perreius.*

v. 1. *heremi* Gron. Neap. *here mi* Puc. — v. 2. *Scis mihi* omnes; Lachmannus vere: *Scis mi hinc.* — v. 4. Omnia in v. c. *Puccius. in exitio* Gron. manu pr. vides, unde recentiorum codicum lectio sit: *Omnia in exitium — meum.* Exspectemus tamen non *O* sed *Ah* ex Propertiano more, quem Huschkius ad Tibullum alicubi docte exposuit. — v. 5. *deducit* Omnes; quod contemnere non audeo; legunt autem alii *diducere* sensu item bono. — v. 6. concinit v. c. *Puccius.* — v. 8. Duplex apodosis neminem eruditum vexabit.

v. 9, 10. omittit Gron. — v. 12. *calebat* F. M. — v. 13. *in omnes*] *et amens* Gron. quod ut recipias, fortasse versus 18 efficiet, in quo non cur omnes, sed quod semper amet, naturae sibi vitio innatum ait. — v. 14. *Quid* Puc. Locum optime defendit et explicuit Lachmannus. — v. 19. *thamyce* Gron. — v. 23. *Percuntere* Gron. *Percunctere* Neap. *Perconctere* Puc. — v. 25. *alchmene* Neap. Puc. (*alchmeneae* Rheg.) alchmenee. sic ibi *Perreius. requieverat* etiam apud Ovid. Heroid. V, 13 et saepe amoris verbum est. Sed de interpretatione huius loci grammatica a prioribus interpretibus discrepo. Ad Virgilii ecl. VIII, 4: *Et mutata suos requierunt flumina cursus* Servius Burmannianus haec habet: ,, Cursus proprios retardarunt et quietes esse fecerunt. Sic Sallustius VI Historiar. *Paullulum requietis militibus.* Quiesco ego enim [duplicem habet significationem: et aliter dico quiesco ego] et aliter quiesco servum i. e. quiescere facio [Calvus in Io: *Sol quoque perpetuos meminit requiescere cursus.*" Haec veteris grammatici animadversio aliorumque verborum usus similes (cf. Burmannum ad Virg. ecl. V, 27 *ingemuisse*) tantum non omnes in assensum coegit interpretes; adeo ut, quum etiam aliis locis eandem structuram emendando intulissent, his ipsis ad probandam activam horum verborum notionem abuterentur, quod fecit ad Virg. ecl. VIII, 4 N. Heinsius loco Propertiano III, 33, 77:

Quamvis ille suam lassus requiescat avenam

quod Scaligeri inventum, quum tamen omnes libri *sua — avena* praebeant, omnes sequuti sunt, donec Lachmannus

optime suam Propertio scripturam restituit. Nos autem nihil moti summorum auctoritate virorum, diligentius, quid in hac re veri insit, inquiramus; reiecto tamen ante exemplo Servii Salustiano [Cortii Fragm. 1009], quum aliam longe rationem sciamus esse participiorum, aliam verborum. Atque primum quidem teneamus, non *personae* accusativum huic verbo unquam adiungi, sed tantum rerum, quum qui e Ciri afferantur versus 10:

In quo iure meas utinam requiescere Musas
Et leviter blandum liceat deponere morem

alieni esse iudicandi sint, quos ita solvimus: utinam mihi concessum sit, ut mores meos deponam et Musae requiescant. Deinde neminem Virgilio antiquiorem ita locutum esse. Nam qui ab aliis producitur Ennii versus apud Ciceronem Tusc. I, 45:

Ubi remissa humana vita corpus requiescat malis

nequaquam, ut ita explicetur, nos cogit, aliterque ipse παραφράζει Cicero: *portum esse corporis et requiescere in sepulcro putat mortuum.* Quae vero *quiescendi* verbi proferri solent antiquiora Plauti exempla; iam refutavit Gesnerus in Thesauro s. h. v. Iam ergo nobis relicta sunt praeter loca supra proposita locus in Senecae Herc. Oet. 1586 et apud auctorem Ciris vs. 233, quae apertae Virgilii imitationes sunt. Cuius ipsius locus [ecl. VIII, 4] tantum abest, ut activam significationem flagitet, ut omnibus rationibus praeferenda sit vox neutra, addito accusativo, quem nominant iniuria graecum. Carminum enim suavissimam dulcedinem descripturus bruta ait, quid passi sint, nescia alia *mirari* cicura, alia ferocia, quod maxime hanc decet naturam, *stupescere*, Fluvios autem, aquarum cursum, ut propius absint mutare et leniter urnis acclinatos requiescere cantuum suavitate deceptos. Ita demum orationis indolem et progressum intelligimus, hac, inquam, comparatione retenta, qua, quomodo et bestiae et dii deliniti sint carmine, docemur. Illam vim carminis vero ex parte tantum sentimus, si active interpretamur deos cursum requiescentes, siquidem ita non quid passi sint dii audimus, sed quid animi causa fecerint, neque ulla deliniti per carmina animi ad nos notio pervenit, quae propria poesi virtus est, sed tantum audiendi carmina quaedam eos libido moratur. Itaque recte vertit Vossius. Quamquam minus probo eum verborum, quem hic sequitur, ordinem: *requiescunt mutata suos cursus*, propter similem versum in Ciri, 232:

Tempore quo fessas mortalia pectora curas,
Quo rapidos etiam requiescunt Flumina cursus.

Est enim haec tam certa versus Virgiliani imitatio, ut quod hic legamus probemusve, non minus debeat de ipso valere Virgilio. Hic autem nullo modo verbum requiescendi explicari posse active, ita efficio: *Requiescerent illi cursum*, si fluviorum decursum ac strepitum cohiberent noctu, vel deminuerent. Nugae! Hoccine enim in rerum natura invenitur? Aut ita obtusis auribus fingemus antiquos fuisse (acerrimorum sensuum homines) aut ita perversos, ut haec nobis narrarent vana atque inania? Vellem profecto, tam suae esse artis expertos poetarum interpretes, quam illi suae fuerunt! Maior enim etiam magisque terribilis fluviorum nocturnus strepitus ad aures pervenit. Itaque recte Propertius IV, 15, 27 Antiopen nocturno Asopi sonitu dicit exterritam. Ergo plane contrarium Ciris auctor voluit: fluviorum Dii suis acclinati urnis interque somnos parum de aquarum decursu solliciti per se strepitum citare suas undas permittunt, quas interdiu imperio continent. Ita solent, qui sunt ingeniosi imitatores, retenta quadam similitudine, novum aliquid ad suum exemplar addere. Magis etiam perspicua res in versu altero est:

Tempore, quo fessas mortalia pectora curas Requiescunt.

Felices illos homines, qui sponte curas noctu deponere possunt, cum vestibus reliquoque ornatu! Ergo si hoc nobis datum est, cur non fecit puella, effecit nutrix? Haec potius ex ipsis puellae insomniis maximos cruciatus filiolam angere concludit, quia, *quum minores curae noctu requiescant*, haec tamen vigilet. Quod si minus, quid verum esset, curarem, possem hic ego unum utriusque poematis auctorem Virgilium me accipere simulare. Sed neque hic meus mos est, neque res nostra, satis per se aperta, innocentiae insidiatur. Contra, quod alii probare conati sunt, non esse Virgilii Cirin, id ego quoque via alia eaque satis munita invenisse mihi videor, ex particularum observatione. Quot res ab hac parte quantam lucem accipere possint, uno hic exemplo docere liceat. His itaque particulis (at multis, ut in brevi poëmatio,) Ciris auctor a Virgilio recedit. 1: *Etsi*, quod Virgilius nunquam habet, hic legitur vss.: 1, 405. 2: *Si* nunquam a Virgilio reticetur, noster reticet vs. 447. 3: *Quum*, quod alii etiam poetae rarissime faciunt, nunquam Virgilius, iungitur hic cum plusquamperfecto coniunctivi vs. 366. 4: *Quod* plerumque hic indicativum adsumit, Virgilius praetulit coniunctivum. 5: Idem valet in *antequam*. 6: *ubi* hic imperfectum et plusquamperfectum patitur, quod vitat Virgilius. 7: Contra *ut*, temporale, quod nemo Virgilio frequentius usurpavit, hic semel legitur vs. 430: *ut vidi*, *ut perii* etc., loco illo ex Ecl. VIII, 41 subrepto, cuius exemplar Theocrit. *Εἰδ. γ.* 42 Homerum expres-

sisse videtur: *Il.* ξ. 294: *Ὡς δ' ἴδεν, ὥς μιν Ἔρως πυκινὰς φρένας ἀμφικάλυψεν.* 8: *Simulac*, quod, si in Virgilio invenitur, ex Codicibus in *simul ut* mutandum est, Ciris auctor posuit vs. 163. 9: Denique singularem usum observes apud Virgilium in particula *Adeo*, et in quo neque alium habet auctorem ipse, neque imitatorem quenquam. Est enim haec ipsi usitatissima (vicies quater invenitur) in unoquoque versu vox altera, nisi quod praecedente vel negatione vel copula cum elisione etiam tertium locum obtinet; veluti: *Haec adeo*, *Restituant adeo*, *Nec me adeo*, *Iamque adeo*. Uno tantum loco in medio versu legitur, Aen. XI, 309, ut tamen enunciationis itidem altera vox sit, easdem regulas secuta:

Concipis. etsi adeo dotalis regia cordi est,

Contra Ciris auctor, ut reliqui omnes, quovis eam loco collocat, qui anapaestum recipiat; vs. 407: *Vos ego, vos adeo* etc.

Iam ad Calvi locum a Servio excitatum transeundum videtur:

Sol quoque perpetuos meminit requiescere cursus.

Quamquam de hoc versu e sententiarum tenore excerpto lubricum iudicium est, est tamen admodum probabile, Io hic suos errores nunquam requiem passos lamentantem induci: reliquis omnibus otium interdum concessum esse ait, ipsumque Solem, nunquam defatigatum, tamen requiescere. Anne vides, nullum hic activae voci relinqui locum? Non enim quod sponte reliqui faciant exponat, (quid enim hoc nunc ad eam pertinebat?) sed quod illis quidem permissum sit (*requiescere*) ipsam se propter Iunonis invidiam impetrare non posse, conqueritur. Iam quid de Senecae loco dicam? Herc. Oet. v. 1586:

Ante descendet glacialis Ursae
Sidus et ponto vetito fruetur,
Quam tuas laudes populi quiescant.

Quem quidem attulisse sat erit, ut quisque concedat quiescere esse *παύεσθαι*, quod eodem modo hic accusativum adsumit, ut apud Gellium, Noctes Atticae IX, 13, 8 genitivum apposuit Quadrigarius. *Manu significare coepit, utrinque quiescerent pugnae*, et *λήγειν* accusativum apud Homerum *Il.* ν. 424: *Ἰδομενεὺς δ' οὐ λῆγε μένος μέγα.* Quare ad eum locum iam nostra oratio veniet, unde omnis haec disputatio orta est:

Iuppiter Alcmenae geminas requieverat Arctos,
Et caelum noctu bis sine rege fuit.

Ac primum quidem ad praeiudicia, ut par est, mihi provocare liceat; ut id saltem effectum videatur, multo esse veri-

similiorem explicationem, quae cum prioribus concinat, quam quae diversam normam sequatur. Deinde loci ipsius naturam mecum considera: Membrorum exilitatem negat Propertium testari Venerem exhaustam, v. 19, ut post versus nostros ad eam conclusionem perveniat:

Nullus amor vires eripit ipse suas.

Ex quibus quid magis naturale et consequens est, quam ita versus intelligere: Licet extenuata membra sint, *tota tamen nocte* valeo. Iuppiter vel *binas noctes* Alcmenae accubuit, neque tamen languens ad fulmina venit. Quapropter *geminas Arctos* omnino pro accusativo temporali accipimus. *geminae* enim ad *totam noctem* versu praecedente referendae sunt, neque, ut eam comparationem versu demum minori audiamus: *et caelum noctu bis* etc., patitur elegorum ratio. Potius ex aliorum ipsiusque Propertii more hic versus maiorem explicat et supplet; quod hic in exemplo tam ad probandum facto elegantissime fieri nemo negabit. *Geminas* autem *Arctos* latine dici de noctibus duabus probabit Claudianus in Cons. Prob. et Olybr. v. 22:

Haud secus ac tacitam *Luna regnante* per Arcton
Sidereae cedunt acies, etc.

Contra in communi interpretatione vide quam dure omnia vix coeant; exigitur enim, ut novam requiescendi notionem fingamus, ut ad *Alcmenae* genitivus *causa* suppleatur, ut exemplum nihil sic probet. Ne id quidem probabile, Iovem, ut noctem produceret, nobis narrari Septentriones cohibuisse, illos, qui uni Iunonis memore ira vetiti Oceano non lavantur, multoque aliter apud Plautum Amph. I, 1, 116 Sosia loquitur. Ceterum *Alcmenae* genitivus est, qui dependet a Iovis nomine ut *Alcmenae Iuppiter* ex amantium more dicatur.

Ex quibus omnibus sequitur, ut iam *requiescere* et *quiescere* nunquam transitive ab antiquis esse positum, statuere iure videamur; atque tropaei instar *Symmachi* verba (Epist. I, 94) orationem coronent: *Quiesco igitur has partes, et hoc unum tibi persuasum volo*, minorem esse et Servii auctoritatem et eorum qui illum secuti sint, quam ipsorum poetarum.

v. 30. *Non* Neap. frequens in hoc libro error. *thessela* Gron. — v. 31. *andromachae* Omnes. — v. 33. *poterant* Neap.; sed singularem numerum Propertius addere solet. — v. 34. *pellides* Gron. *ero* Gron. quod haereo, an praeferam. *Hic* adverbium est: in amore. — v. 38. *si quando est* Rheg. *est*] apud se scilicet *Puccius*. *locum*] apud se scilicet *Perreius*. *sinat* Gron. Rheg. *sinit* Neap. vere; *si quis* quum est quicunque, et *si quando* quandocunque, indicativum postulant. — v. 39.

si mihi nuncium remiserit. Mira tamen mihi semper ministri mentio visa est, cui irascitur. Conieceram: *mero* i. e. si forte inter vina, mero iram stimulante, rixabitur, alteram ei nominabo; velut Terentianus Gnatho suadet. ita *lumina ministra* Ovid. Heroid. XXI, 114. — v. 40. *Vel* Gron. — v. 41. *navim* Gron. Neap. *navem* Rheg.

XVI. Reliqui codices priori adiungunt, sed interductu ab ea secrevit *Puccius*. Recte. Lachmannus sequentis partem esse voluit, cuius tamen aliud orationis genus est. Ego potius alius elegiae fragmentum esse censeo, cuius finis periit, unde factum est, quod interdum faciunt, ut proximae librarii adderent.

v. 2. *et* Gron. Rheg. Neap., atque ita Heinsiani omnes; (hoc est Mentelianus, Heinsianus prior, Vossianus secundus, excerpta Scaligeri, F. M., Rheg., Veneta 1475.) ut credibile sit, praepositionem *in* esse a Beroaldo. Lachmannus. — Ponere verba loco, Pon. *Perreius*. Quid igitur in suo libro Pontanus invenerat? Verba in nullo loco ponere plerumque est, nullam verbis auctoritatem tribuere; hic debet esse, nullius auctoritatis vel ponderis verba proloqui. *at random* quod Angli aiunt. — v. 4. *Spectanti* Gron. — v. 6. *Cur* Gron. [puto, quamquam Schraderus non notavit Lachm.] Neap. *Cum* Puc. (*Cui* Rheg.) *quem* Gron. Puc. *quae* Neap. (Rheg.) *ille putat* Gron. Puc. *ille vetat* F. M. Neap. (Rheg.) Cum recipi quem non noverit illa putat, c. Puccii *Perreius*. Recepit ergo ex codice suo Puccius tantum *putat*, reliquit *illa*; quod praefero cum Lachmanno, ex Perreii fide recipiens: *illa, putat;* disputantem de hoc loco Lachm. ipse conferas. — v. 7. *rursus* Gron. Neap. *rursum* Rheg. — v. 8. *Quae cum scire timet* F. M. omittit hunc versum Neap., unde mea de truncato carmine suspicio augetur et confirmatur.

XVII. *De amoris servitute* Rheg. et interstitium in libris.

v. 1. *Qui* Neap. Rheg. Quoi vel Cui *Puccius*. *et* Neap. (atque ita Rheg.) *haec* Puc. et (nisi excerptores minus attenderunt Lachm.) Gron. *haec* versu minori explicatur. — v. 2. *lacu;* de lacubus urbanis intellige ad aquarum ductus pertinentibus, unde quivis aquam petebat ad usus sordidiores. — v. 4. *Promissa* Gron. Neap. Intelligo: ut verba, id quod servus promiserat, amatoris dominae ferat; eodem fere sensu *commissa* Puc.; sed servorum perfidia, nota amanti et tamen in usum vocanda propter necessitatem, hac Puccii lectione nobis eripitur; et, nisi fallor, interpolatio est promissorum. Addo, *promissa* ad servum *alterius*, (suum, ne in suspicionem incideret, noluerat mittere) quocum sua consilia communicare cogitur, optime referri. — v. 8. *et quid* Gron. (ita

Rheg.) *equid* Puc. — v. 10. *inmunda* Neap. *immunda* Puc. — v. 11. *verterit* Gron. — v. 12. *iurant* Neap. manu pr. — v. 14. *placet?* Neap. — v. 15. *inmundo* Neap.

v. 16. *sint* Gron. — v. 17. *quod* F. M. Gron. Neap. *quae* Rheg. — v. 21. *euphratres* Gron. — v. 22. *Me iuverint* Neap. Fortasse: *iurint*, cuius glossa *capiant* videri possit. Aliter, ac vulgo fit, tres ultimos versus distinxi, ne in protasi idem esset, quod in apodosi: Quoniam nemo amans liber, nemo amans liber est.

XVIII. *Ad se ipsum* Puc. Ad se ipsum v. c. *Perreius*.

Videant docti iudices, an hanc elegiam quam priores melius intellexerim: Tu, quum meo libello (i. e. elegia mea, cf. interpretes ad Horatii Sermones.) propter Cynthiae amorem iam tota urbe diffamatus sis, Cui, inquis, non his verbis sudor adspergat tempora? Sed aut dissimulandus pudor, aut amor reticendus est. (in reticendi verbo latet per zeugma ad pudorem pertinens synonymon dissimulare.) Quod si mihi Cynthia tam facilis esset, non ego caput nequitiae vocarer; nam verba hominibus darem, ac nomine famae parcerem. (libertinae ficto nomine moechi infamiam vitarem.) Quare ego iam viles sector. Num tu hanc causam vilem putabis, qui modo tam graves famae poenas dedisti? Vin' aliud audire? Nolo munera dare ingratus, nolo fallaci puellae ludus iocusque esse. — Minantia tamen haec verba ad gratiam potius recuperandam puellae esse composita, putabit, qui El. III, 6, 19 memor erit. Sic gladii peritiam adversario iactant, qui pugnare nolunt.

v. 1. *sis* Gron. (?) *sit* Neap. Rheg. — v. 3. *aspergat verbis his* Gron. — v. 4. *At* Gron. *Aut* reliqui. Illud recepi; responsio hac particula subindicatur. Videndum, an scribi debeat, Haut pudor ingenuus, haut reticendus amor. hac sententia: quis non erubescat ita in amore dissimulato convictus? nam amor nec pudori ingenuis est nec reticeri debet. Lachmannus. — v. 5. *tam* Gron. Livineio teste, et Neap. (itaque Rheg.) *iam* Puc. — v. 7. *si* F. M. — v. 8. *Urerer* Gron. Puc. *Ureret* Neap. — v. 11. *Et* enumerationi inservit. — v. 13. etiam ab *irato* poscit; vel superba, vel ut urat amantem. *ingratum* mavult Lachmannus. — *tales* Neap. *tallos* Rheg. — v. 14. *iulia* Rheg. — v. 15. *Ac* F. M. Gron. Quod recepi; est celerius ad rem novam transeuntis; contra exclamationi nullus locus. *Ah* Neap. *Ha* Rheg. — in fine versus *sed me* Gron. *si me* Neap. Rheg.

XIX. Codices male priori adiungunt.

v. 1. *erit* Neap. *videbas* Rheg. — v. 3. vixdum v. c. *Perreius*. — v. 9. *purget* Rheg. — v. 11. *bibens* Rheg. — v. 13.

Quos autem Gron. — v. 15. *se* omittit Gron. — v. 16. *Dissidium* Gron. *Discidium* Neap. Rheg. — v. 19. Non veremur, ne quis in hac interpunctione *meā* ad *ossa* pertinere non videat. — v. 20, 21. *heu heu* Gron. Rheg. *eheu* Neap. — v. 22. *navita* Omnes. *non ita*] sic reposuit Pon. prius enim navita legebatur *Perreius*. *haud ita* N. Heinsius. — v. 26. *ego. sed* Neap. — v. 29. *nota est* Omnes. Legit Lachmannus: *Iam tibi Iasonia* votum est, *Medea, carina*. Quod placet. *nota est* erit: modo innotuit nobis illuc venisse, et iam deseri eam videmus. — v. 34. *legit* Rheg. — v. 35. *Hi* Gron. Neap. *Ii* Rheg. — v. 36. *pectora* non magis sperno, quam apud Ovid. Met. VI, 59 sqq.

XX. *Ad Cynthiam, quod perpetuo eam amabit* Rheg.

v. 2. *venit* Neap. manu pr. erasa *t*. Dedi, quam omnes codices scriptionem verissimam acriter tenent. *Saepe veni* materialiter vel substantive intellige, ut *Quare* III, 15, 14 legimus: Quum tamen sors mea saepe ad te, pulcherrima mea cura, admitti non patiatur, formam tuam carminibus celebrabo, quoniam beatam meam amoris sortem non possum. In utraque lingua etiam nunc exempla non pauca latent ita expedienda. Unicam, sed suo dolori natam, pulcherrimam curam ipsam dici Cynthiam, ipsa vox *nata* haud dubie demonstrat.

v. 8. *palma* Rheg. parma *Puccius*. — v. 9. *deducit* Omnes; *adducet* ex Commeliano legendum plerisque videtur, sed deducere non solum est deorsum ducere, sed etiam abducere, ut probavi ad Aetnam Lucilii Iunioris vs. 348. — v. 12. *sevae* Gron. recte igitur Ant. Volscus: *saeve* dedit. *sepe* Neap. *saepe* Rheg. *perillae* Gron. — v. 13. *indurescere* Gron. — v. 14. *Caucaseas* Gron. — v. 15. *Sed non obsita tegitur* Gron. *obsistam* Neap. *obsitam* Rheg. *rubigine* Omnes; (non *rob.*) — v. 16. *licore* Gron. — v. 17. *At nullo de me teritur sublumine amor q* Gron. Desperatus versus. Nam *teritur molimine*, quod Davisius ad Ciceronem de Natura Deorum II, 2 proposuit, ita plerique probant, ut melioris inopia consilii facere videas. Neque enim *molimina* placent, neque *amor qui Restat* ullo modo probabilis est. Siquidem rescindere *qui* a reliquo versu propter multas rationes hic iure noluisse Propertium affirmamus. Iam vero, si id verum putabimus, nihil est magis naturale, quam *qui* esse ortum ex *que*. Porro *amorque* aliud desiderabit substantivum, quod vitiosum *sub* in se contineat, quum *limine* quidem abiiciendum nemini videbitur, qui de exclusione totam hanc elegiam agere, atque post varias comparationes hoc versu rediri ad feminarum amorem nulla crudelitate depellendum memor est. Quare, quoniam nihil neque ad praesentem rem magis pertineat, neque ulla vox ad

sub propius accedat, quam *spes*, nullum mihi est dubium, quin versus ita legendus sit:

At nullo dominae teritur spes *limine*, *amorque*
Restat et immerita sustinet aure minas.

nullo limine spes teritur, nulla exclusione. quam frequens liminis mentio, quamque varius huius vocis usus sit, neminem, qui vel ad hunc tantum locum Propertium attente legerit, potest latuisse. — *que*, ex satis vulgari usu, post negationes maxime, idem est, quod *sed;* uti δὲ post negat. pro ἀλλά.

v. 18. *qui restat* Gron. *in merita* Gron. Neap. *substinet* Gron. — v. 19. *contentus* Gron. *contemptus* Neap. Rheg. — v. 20. *saepe* Gron. — v. 21. *plenos* — *absumis* Neap. manu pr. — v. 22. *Credula* Rheg. — v. 25. *An* Gron. — v. 29. *Tum* Gron. — v. 33. *semel ire memento.* Recte Lachmannus inepte hoc praecipi iudicat: Quamvis te saepe vocet, semel tamen te ire iubeo. Vel propter *semel*, quod ridiculum est, vel quia (quantumvis commodum id aemulo ipsi Propertio sit, si rivalis ad amicam vocatus non veniat) verendum tamen est, ut ullus amator id sequi consilium voluerit, quo certissimum amori sit finem facturus. Quam diu enim, qui nunquam, quum sit vocatus, ad amicam venerit, apud eam gratiosus erit? Ille vero, ut, si diu velimus beati esse, invidiam caveamus admonet. Quare lego:

Quamvis te persaepe vocet, similare *memento.*

Et simulare et dissimulare hic aeque valent. dissimulans beati speciem vitat, simulans etiam contrarium fingit. Ut autem versu priori invidiosa verba fugienda, ita hic omnem vultum habitumque prudenter componendum ait.

v. 35. *At* Gron. Neap. *Et* Rheg. At *Perreius*. *grata* explico *fertilia;* uti *agri grati* dicuntur, qui credita semina referunt, ita haec saecula, quam ab antiquitate fidem illaesam acceperant, non referunt, vel antiquae fidei puellis minus grata sunt. cf. Heins. ad Ovid. Amor. II, 16, 8. tuetur etiam versus minor: *tempore vincor ego.*

v. 40. *sic* Gron. *si* Neap. Rheg. *nostra* Neap. — v. 42. *dulcis* Rheg. — v. 43. *quadam* Neap. Plerumque de Graecis et Romanis puellis intelligunt, sed quum inhonesta honestis opponi hic soleant, fusca candidae, plebeia ornatae, sic proprie quoque *Argivas* dici puto, ut geminae et mammosae componantur cum gracilibus Romanis. confer Lucretium IV, 1161. — 46. *sandacis* Gron. v. 48. *et*] *est* Puc. *est* v. c. *Perreius*. *multa mala* hic rursus materialiter accipienda sunt.

XXI. Ad Cynthiam de somnio naufragii Rheg.

v. 8. *moerens* Gron. *maerens* F. M. — v. 10. *iam* Omnes; neque quod plerique faciunt, *tum* a Beroaldo accipio. quum

enim bis *tum* praecessisset, in *iam* illam particulam esse errore mutatam, haud verisimile est; porro ipsum *deae* nomen prae ceteris diis Leucotheae hic uni tributum eo nos ducit, ut ob certam quandam causam nomen divinum huic adiectum putemus; deinde blandum poëtam, si quid aliud, decebat profecto illius mari inventam divinitatem coniungere cum sua Cynthia in simili versante discrimine. Denique hanc comparationem in Propertii mente haesisse, ipse versus ostendit insequens, comparative inductus: *At tu* etc., et quod hanc ita initam orationem in versu 13 et sqq. eo deducit, ut ipsam quoque deam futuram fuisse affirmet: *quod si — Esses Ionii facta puella maris.*

leucothoe Gron. *leuchothoe* Neap. *leucothea* Puc. — v. 15. *prae invidia* Rheg. *ob invidiam* Puc. uti Gron. Neap. — v. 16. *niseis* Gron. *niseae* Neap. *nisee* Puc. — v. 17. *subsidio* Omnes; (non *subsidium.*) — v. 18. *Quam* Neap. — v. 19. *saxo*] al. *ponto* Groningani margo. — v. 20. *vissa* Neap.

XXII. In codicibus priori adhaeret. Argumentum simile, sed tamen aliud est. In illa profecturam Cynthiam ficto somnio ab itinere retinere conatur, in hac simul cum ea pericula maris adire propter amoris teneritatem aliqua causa insigniter auctam paratus est.

v. 5. *residat* Gron. — v. 9. hinc quae sequuntur, Gron. a superioribus segregat, quasi alia elegia sit. — v. 16. *turbidus* Puc. egregie hoc epitheton austrum describit, qui vela *in incertum* agit; *ventus inaequalis*, si quis alius; ita enim *inaequales procellae* apud Horatium interpretandae Od. II, 9, 2, 3; Stosswinde, omnium infestissimae. — v. 17. *Quodcunque* Gron. *quicunque* reliqui. Illud verius esse puto; est casus absolutus ὅτιουν, quantumcunque; conf. I, 13, 36. — v. 19. *novistis* Rheg. bene. *ratis argo* Gron. Neap. *rudis argus* Puc., quod iam ab Ant. Volsco propositum erat; neque enim raro vel hic vel Beroaldus hoc libro usus est. *Argo* ex reliquis commode tueri poteris, ut sit dativus: columba rudis Argo dux erat. — v. 23. *hisdem* Gron. Rheg. *isdem* Neap. *horis* Neap.

v. 27. *amimnone* Gron. *ammimone* Neap. *amimone* Puc. *dum* Neapolitani verum puto: modo aquam deus excuteret, seu aquae pretio eius libidini cessit. hanc fabulam Propertium secutum esse, versus 29 aperte docet. *ferre* est pretium deferre. *cum* reliqui. *comprimere* non solum de vi valet, (quapropter haec vox saepe diserte additur,) sed de clandestino omni concubio. ὑπόκεισθαι. cf. III, 29, 35. — *arvis* Gron. Neap.

argis Puc. — v. 28. *lernae* Gron. Rheg. *lerne* Neap. — v. 29. *ille* Neap. — 30. *refudit* Rheg.

v. 31. *boream* Omnes, (non *an*) *orithya* Gron. — v. 34. *caribris* Neap. Supple verbum nocebit *Puccius*. Potius supple cum Lachmanno *erit*. neque tamen cum hoc *usquam* pro *unquam* scribo. nam *unquam*, *nunquam* omni negationi augendae, omissa temporis notione, apponuntur, uti nos im Leben, im Leben nicht. conf. supra v. 21, ubi alii *nusquam* tentaverant; sic *dicere quod nusquam est*, et *dicere quod nunquam est* promiscue ponimus. similiter apud Terent. qui tamen *nunquam*, ut in oratione comica, frequentissime ita habet, ut doceo, Adelph. I, 2, 18 Heumann (Poecil. II, 476) *nusquam* scribi non recte volebat. — v. 36. *edus* Gron. — v. 37. *Quid* Neap.

XXIII. In codice antiquo una est haec elegia cum superiore *Puccius*. Nisi una, simillima certe argumenti est; unam esse etiam Lipsius statuit Antt. Lectt. V. 20.

v. 1. . . *T* Gron. Neap. *a T* Rheg. *Et* scribendum esse, Lachmannus docuit. — v. 5. *sequitur* Gron. et Vossianus quintus; id est: aliquis. *sequimur* Neap. Rheg. — v. 7. *fletis capiti* Gron. Puc. *fletus caput* Neap. — v. 8. *utrique* Rheg. — v. 9. *flammas* Gron. Puc. *flammam* Neap. (ita Rheg.) *ruinas* Gron. Neap. Puc. (*ruinam* Rheg.) — v. 10. *Heu* Gron. *Neu* Neap. Puc. — v. 15. *damnatum* Gron. *damnatus* F. M. *clamantis* reliqui. Sequor Groninganum. *clamantis* abhorret ab *aura*, quam ex Horatii Carm. II, 8, 24 explico. nam quae est aura clamantis? *damnatum* recte Burmannus morti addictum intelligit. *vocare* de omnibus invitamentis usurpatum est.

XXIV. *Ad Iovem pro amica egrotante* Rheg.

v. 2. *Iam* Neap. *I* a rubricatore est. — v. 4. *Incipiunt sicca fervere rura cane* Gron. — v. 5. *Sed nec* Gron. *Sed neque*, F. M. — v. 8. *iurarem* Neap. *iurantur* Liv. ex Gron. affert, non F. Modius aut Schraderus. — v. 9. *Nun* Gron. *Non* Neap. *ipsa paremque* Gron. *illa per aequae* Neap. Rheg. Sequor Groninganum. Comparaverat superba se Cynthia paremque fecerat Veneri; blandus poeta etiam prae illa dea, ipsa iudice, pulchram esse ait.

v. 12. *Pallidis* Neap. — *vexatae* — *vitae* Gron. Neap. *vexata* — *vita* Puc. quod praetuli propter *vexatae* — *vitae* casu non congruentium molestum ὁμοιοτέλευτον; alii fortasse duplicem ablativum spernent. — v. 16. *veniet* Gron. Puc. *venit* Neap. — v. 19. *Iuō* Gron. *terris* Gron. Neap. Puc. (vulgo *terras*) — v. 20. *inplorat* Neap. *leucothoen* Gron. Neap. Puc. — v. 21. *Andromade* Gron. — v. 27. *semele* Gron. Neap. Rheg.

v. 29. *meonias* Gron. Neap. *maeonidas* Rheg. f. meonias *Puccius*. *interque* Gron. Rheg. *inter* Neap. *omnis* Omnes.

v. 33. *Hoc ibi* Puc. *Hoc* ablativus est; malim tamen *Sic:* Si fato morem geris, vel Iuno tibi, quae soror et coniux ceteris magis laesam dignitatem ulciscitur, ignoscet. *Sic* nemini tam familiaris est, quam Propertio. Lachmannus distinxit: *poterit*, *coniunx*, *ignoscere*, ut coniux Iuppiter sit, quem adloquatur.

XXV. Recte hic Neapolitanus novam elegiam incipit, quem sum secutus. Argumenti similitudo quatuor elegias male conglutinavit. In prima (v. 1—35) teneris blandimentis aegrotam puellam, cui nondum ipse timet, consolatur, iocorumque suavitate aegritudinem eximere studet; maxime, quae a vs. 25 ad 34 non sine magna protervitate ludit, nequaquam cum nostris versibus (35—46) concinunt. Hic enim desperans ipse, quum neque litavisset et carmina magica frustra tentasset, omnibus votis movere Iovem laborat, ut ferat auxilium. plena haec elegia acerbissimi doloris est; quo fit, ut Iovem adloquatur non adiecto nomine (v. 7. *miserere*), quod versu demum decimo in voti formulam inclusum legitur.

v. 1. *rombi* Gron. *bombi* Neap. *rhombi* Puc. — v. 2. *iacet* Omnes; nolui ab interpretibus *tacet* accipere; nam tacet quum iacet laurus propter causam eandem, i. e. propter focum exstinctum iam crepare desiit, *quiescit*. — v. 3. *bona* Gron. — v. 4. *concinit* Gron. Puc. *condidit* Neap. — v. 7. *Set non* Neap. — v. 10. *est* addit Neap. Rheg. *omittit* Gron. — v. 11. *ipsa operta* Neap.

XXVI. Cohaeret in codicibus superiori. Separandam esse iam Lachmannus viderat. Post morbum ex maxima quidem parte iam fugatum, sed nondum tamen prorsus depulsum, (*maneat*, namque precatur, *clementia*) haec scripta esse apparet. Itaque hic etiam flectere precibus deos pergit; non tamen, ut supra, Iovem, sed Proserpinam et Plutonem, nec desperans, sed tamen subtristis.

v. 1. *persephonae* Gron. — v. 2. *Persephone* Gron. Neap. *Persephones* Puc. — v. 3. *aput* Rheg. — v. 4. *scilicet* Gron. Rheg. *si licet* Neap. f. si licet *Puccius*. — v. 5. *iole* Gron. *iope* Neap. Rheg. f. io. vobiscum Antiope, vobiscum candida tiro *Puccius*. *Ioles* nomen fortasse tanquam celebratius retinendum erat. sed *Iopes* ideo verius videbatur, quia non tam facile hoc ex illo oriatur, quam a notiore illo per correctores exturbetur, praeterea reconditiora sectari Propertium novimus. De *Iope*, Thesei uxore Lachmannus ad Plutarch. vit.

Thesei cap. XXIX nos ablegat, et ad Athenaeum Lib. XIII, pag. 557 a, ubi *Hippe* vocatur vitiose. *pyrrho* Gron.

v. 6. *pasiphone* Gron. *pasiphae* Neap. *pasyphae* Puc. — v. *phebi* Gron. Neap. Quod nomen in hoc errore lateat, non satis scio; fortasse: *Et Beli*, ut de quinquaginta Danai filiabus intelligat; scimus in nominibus haud raro Propertium remotiora praeferre notis, ut modo Iopen habuimus. Huschkius in Annal. litterar. pag. 340. Scaligeri correctionem *Thebae* recipit. Ego, ut terrae in versu maiori nominabantur, ita hic regum nomina quaerebam. Idem *Phthiae* nomen *Troiae* vice in maiori suadet; ego ut Troiae Priamus respondet, ita Graeciae Belum addebam. — v. 11. *fortuna*] *forma* Gron. — v. 17. *proprius* Neap. *seva* Gron.

XXVII. Adiuncta in Codicibus prioribus est. Hoc denique tetrastichon quatuor elegiarum corollam concludit. Hic iam omnis sollicitudo abiecta est, in hoc cuncta lasciviam spirant ac securitatem.

v. 1. *demissa* Omnes; melius videtur *dimissa;* sed iam supra in his me nihil audere professus sum; sic etiam in carmine insequente, vs. 29. omnes iterum codices *demissa* tenent; nec minus in XXVI, 13, ubi dimissa corrigunt.

XXVIII. *Ad Cynthiam* Rheg.

v. 2. *Hesterna* Omnes. Recte N. Heinsius: *Extrema* confer versus 31 et ultimum. *vagarem* Gron. — v. 8. *Accipite* Gron. *iam* Neap. — v. 9. *reliquit* Rheg f. locavit *Puccius.* — v. 11. *at alter* Neap. — v. 13. *Hoc* Gron. — v. 14. *inempte* Neap. — v. 19. *spondeo* Puc., quod non vereor, ne novitas magis commendasse videatur, quam reliquorum lectionem *spondet*, sed ratio; nam melius haec omnia Cupidini sane tribuuntur, in ingente pavore Propertio obmutescente; neque tam hic spondere potest ipse, quam reliquis τοξόταις τόξαρχος.

v. 21. *me* Omnes. *in lecto* Neap. *direxit* Gron. *duxerunt* Neap. Rheg. Certissima emendatio N. Heinsii *mi* — *dixerunt.* — v. 24. *et* Gron. recte; *at*, quod reliqui habent, plane ab hoc loco alienum est; namque omnis haec elegia ad demulcendam Cynthiam, ut in fine exponetur, conscripta nullo modo admirationem, quod esset sola amica, i. e. particulam *at* patitur, sed *et*, quod laete affirmantis est. — v. 27. *casta veste* Puc., quod vitiosum esse, ostrina tunica in versu praecedente demonstrat. Sed aliud est, quod non intelligo: quo illud *hinc* pertineat. unde enim iverat? aut quid locus, unde venerat, omnino erat afferendus? Equidem lego:

Ibat et in castae narratum somnia Vestae.

n ab aliis, *c* ab insequente voce adhaerescente mutatum in

hinc, ab aliis refictum *in casta — veste*. Ceterum temporum et omnino omnis orationis ratio proba est. *Talis*, in vs. 29, apodosis est enunciati: *Non illa mihi;* nam pro illo: Qualis fuit, quum ibat, talis nunc visa est, comparative ordiens: *Non pulchrior tunc fuit*, flexit postea orationem in *talis*. Saepissime invenimus antiquos ab inaequalitatis comparatione (comparativo) ad comparationem aequalitatis (positivum tam, quam etc.) deflectere. Tempora sic habent: Quantum per se valet forma! post somnum, quo solent tempore minus quam unquam bellae puellae esse, aeque mihi Cynthia formosa visa est, quam quum egregie ornata incedebat. Sive: quum ornata *fuit* tempus refert, *ibat* mollem incessum describit; omnino enim illud tempus historicum, hoc descriptivum est, vel illud tempori datum est, hoc spatio.

v. 29. *demissa* Omnes. — v. 31. *Quo* Gron. *Quod* Neap. *Quid* Puc. (*Quae* Rheg.) quo *Puccius*. — v. 34. *Vel tu si quisquam* Rheg. vel si quis *Puccius*. — v. 36. *voluntatis* Neap. — v. 39. *suavia* Gron. Puc. — *savia* Neap., quod cur Lachmannus recte praetulerit, apud eum vide. *dextra* Gron. Puc. *nostra* Neap. — v. 40. *sacra* Gron. *saxa* Neap. *laxa* Rheg. — v. 41. *custode reclŭdor* Gron. *custode reludor* Neap. *custodis rector* Rheg. custode recludor, custos reiector *Puccius*. custos reiector v. c. i. reiicior *Perreius*. — Non satis apparet, a quo istud sit: *custos reiector*, a Puccio an a codice; nam Perreii quidem auctoritatem nullam esse, attentus lector diu perspexit; sensu autem haec lectio eo recedit, quo Broukhusii scriptio:

Sic ego tam sancti custos excludor amoris.
Ex illo felix nox mihi nulla fuit.

Quae, quam omnino improbanda sit, causa ex ipso poemate sumenda est: Exclusus ab amica est. Cuius ut gratiam recuperet, mittit hanc ad eam elegiam, in qua et candide flagitium professus cum summo lepore, quid sibi acciderit, iocose exponit, et dulcissima blandimenta immiscens veniam precatur. Orationis autem argumentum nunc quidem hoc est: Bene potus, (neque enim sobrius amatissimam puellam laederet!) quum ab amica quadam domum rediturus esset, (frustra eius fores circumerrasse videri vult, peccatum extenuans;) in eiusdem rei, quam ipse admiserat, laesae fidelitatis, ut fit, suspicionem inciderat. Mane igitur, quum per noctem frustra a Cynthia exspectatus esset, eius domum intrans speculabundus, ab irata puella adventus causam intelligente excluditur. — Ita nunc quidem finitur elegia; vel potius non finitur. Cur enim haec omnia Cynthiae exposuit? Num forte, ut suaviter garriret, lepidam rem narraturus?

Sed ad Cynthiam misit, quae vel omnem rem sciebat, vel si ex parte nesciebat, non sane libenter auditura esset. Ergone cum illa iocatur, quod ipsum excluserat? Non poterat melius, si magis etiam illam volebat accendere. Ille vero accessum et veniam quaerit; *mea lux* appellatur; nunquam eam pulchriorem fuisse praedicat, quam infausto illo mane; *sanctus* illius amor est; *Amor* ipse in iudicium rapit reum infelicem. Atque haec omnia ut sic in fumum abeant? nullo prolata consilio? non veniam petet? non, ut admittatur, flagitabit? Ne tum quidem, si ipsi codices, ut *recludantur* clausae fores, clament? Sed alia ante videnda sunt. Gratissima pars carminis poetae nobis lamentabilem captivitatem describit per brevem istam *Scytharum* turbam. Immissi sunt illi a Cynthia; irruunt, vinciunt, increpant, Cynthiam cum laude deflent, in forum suum rapiunt poetam miserum, minantes denique intus intrudunt: *I nunc, et noctes disce manere domi!* Deinceps: *Mane erat, et volui* etc. Ceterum de exclusione non prae amore sed per Amorem verbum nullum! Etiam haec igitur carminis pars abiecta turpiter, tamquam vanum aliquod ornamentum, ad finem non pervenit et urceus exit? Atqui acerbi fuerant: *Intereat, qui nos non putat esse deos!* Sed iam omnes has difficultates una immutata literula tibi eximam:

*Sic ego tam sancti Custode reclud*a*r amoris*
Ex illo felix nox mihi nulla fuit!

Dignissimam carminis conclusionem! Non ipsam Cynthiam flebilibus modis veniam precatur, quod minus ad ludos, quibus ante delinire eam cupiebat, elegantissimos congrueret. Et tamen venia precanda. Ergo per eum impetrare studet, quem propter hanc ipsam causam suavissima inventione induxerat. Hunc obsecrat, qui sanctissimi amoris *Custos* in hoc eum peccatum impulerat, *Amorem*, qui sic ad dominam sibi aditum rursus aperiat, ut nullam ex illo noctem, vitatis istis aemulae foribus, felicem habuerit. — Eundem Custodem habes elegia III, 29, 8. eodemque referendus versus eiusdem elegiae 24, et in suam rem convertit Reposianus in Martis et Veneris concubio, versu 3:

Quae tuto posset custode Cupidine *amare.*

v. 42. *non* Neap. (sic et Rheg., correxit *Puccius*).

XXIX. *Ad se ipsam* Puc. Difficilem hanc elegiam, quam post vs. 22, a verbis: *Una contentum* etc. in duas Lachmannus divisit, ego ita interpretor: Cynthia, uti ingeniosis contingere interdum solet, quum praesentis lasciviae taedium repente cepisset, et sibi et Propertio otium hoc mollitudine diffluens exprobraverat. Quam ei eripere hoc carmine tentat severitatem: Effugere eam Amorem tamen nullo modo posse,

hic autem pulchre esse in loco pulchro, cuius deliciis increpare senes decere morosos, non illam; Audiat modo dulcem tibiarum strepitum! An etiam nunc puras manus contaminare caede mallet? Ita enim severam istam Cynthiae vitam extrema quaeque sibi opponens exagitat. (et compara ad vs. 22.) Neque sibi esse opprobrio, quod uni amori dedicarit vitam. nam *una amica contentum vivere* non est in unius amore constantem esse, (contra dicerent exempla infra adiuncta), sed amori unice vacare, cuius nomen (*uno contentus amore*) ideo vitavit, quia proximo versu Amor deus inducendus erat. Est autem haec transitio a Cynthia ad se ipsum non sane durior, quam quae supra vs. 13 ab Amore victore ad convivia mollia facta est. Audiat modo Cynthia in antro suo Musarum praecepta: Neminem fuisse, nec Iovem nec Musas ipsas, Amori pares; hic igitur velle se iunctos Baccho litare et Veneri. Sed quamquam sic aliquo modo ratio carminis constabit, non tamen omnem mihi scrupulum eximi fateor. Prior enim orationis pars usque ad versum 22 ad virum missa videbitur planior, quam ad feminam, quae neque Mercurii alas requirat, neque Pegasum conscendat, neque senum leges amaras in censum vocet, neque petat bellum praedae nominisque causa augendi. Unde fit, ut malim in versu 19 *dure* ex Puccio recipere et hanc orationem puellae, quam bello sumpto coniux relinquere voluerat, querelas esse putare, quibus inde a versu 23 quasi amoebaeo carmine eandem sententiam prosequens poeta respondet.

v. 2. *thanhim* Gron. *tana in* Neap. *tanaim* Rheg. — v. 5. *septae* Gron. — v. 6. *mercuri* Neap. — v. 8. *ipse* hoc dicit: ab amantibus Amor nunquam recedit; liberis etiam gravis vel saevus est; noli ergo aufugere. — v. 9. *nusquam* Gron. *nunquam* Neap. Rheg. — v. 11. *Et* Omnes. *Sed* vere scribendum Burmannus censuit. — v. 12. *praesentis* Neap. Rheg. *praesenteis* Puc. — v. 15. *ornentur* Gron. onerantur Neap. *onerentur* Rheg. id est: demus istis vetulis onerare se situ obsitis suis legibus et obsoletis. — v. 16. *sonet* F. M. — v. 17. *menandri* Gron. Neap. *maeandri* Puc. — v. 19. *Nunc iam dura* (*dure* Puc.) *paras* Gron. Puc. *Noñ* [*nunc* rubricator] *tamen inmerito* Neap. Istud *non* verum est, quod iam saepius in hoc libro *num* esse vidimus.

v. 20. *nota* huc non pertinent litora, sed *nuda*, quod Lachmannus occupavit, ob frigus et caeli intemperiem. — v. 21. *Spargereque* Rheg. fortasse rectius; nam reliqui *Spargere et* cf. Io. Schraderi Emendationes pag. 77 sq. — v. 22. *digna* Gron. Fortasse etiam ficto severitatis vultu occultabat Cynthia avaritiam, qua Martiali cuidam viro castrorum co-

mitem se addere volebat, idque hoc versu significatur ab astuto poeta. — v. 25. *Mi memo* Neap. *obiciat* Gron. — v. 26. *Roscida* Gron. Rheg. *Rorida* Neap. *detenere* Neap. — v. 29. *Semele* Rheg. Vix in hac exquisita oratione istud a Propertio vulgare venerit: *ut Io deperditus est;* quum in Semela comburi dicatur, tecta avis volasse Troiam, cur tam vage in hac locutus sit, reliquarum fabularum argutam mentionem iniiciens? Itaque mihi quidem certum est, ab eo venisse:

Ut Semela est combustus, ut oestro percitus *Io,*

uti concremationis dolorem cum Semela, ita simul cum Io oestri aculeum sensit. Vel si negabis, *oestrum* orationem castam laturam, lege *aestu perditus* (*estu*); ego prius praefero.

v. 30. *volari* Neap. manu pr. — v. 31. *estat* Gron. *Alitem* Amorem initiali maiore scribendum existimabam. — v. 35. comprensa v. c. *Puccius.* — v. 37. *me* Omnes. *te* ex Vaticano quinto recipiendum est. — v. 40. *non* Gron. Neap. *nil* Puc.

XXX. *Ad Cynthiam* Rheg.

v. 3. *Tota* Gron. *Tanta* Neap. Rheg. *columbis* Gron. — v. 5. *equidem* Omnes; quod spernere non audeo, cf. Oudend. ad Appuleii Metam. pag. 10. Huschkius ad Tib. pag. 469 coniicit *fidicen.* — v. 7. *milonis* Gron. — v. 8. *artificis* Omnes. Broukhusii *artifices* iure reposuimus. — *invida* Gron. — v. 11. *Et quo* Gron. Neap. (ita Rheg.) *In quo* Puc. f. auro *Puccius.* — v. 13. *parnassi* Rheg. — v. 14. *moerebat* Gron. Rheg. Carmen fine truncatum est.

XXXI. Cum superiore coniungunt codices; distinxit *Puccius,* his adiectis: haud dubie desiderantur multa hoc loco carmina, finis scilicet superioris elegiae et principium huius. — Quod verum esse quis neget?

v. 1. *qui non te* Rheg. — v. 2. *crimina lumen* Omnes. *habet* Gron. Rheg. *habent* Neap. Non audeo recipere, quod N. Heinsius, Marklandus, Lachmannus: *lumina crimen habent.* — v. 3. *praenesti dubias* Gron. Neap. *praenesteis* Puc. praenesti v. c. *Perreius.* Genitivum Puccii accepi. Lachmannus: *Praeneste in dubias* scribit. — v. 4. *telegoni* Gron. *lethogoni* Neap. *thelegoni* Puc. — v. 5. *Cum vatem herc.* Gron. *Curva te herc.* Neap. *Cur vatem herc.* Rheg. Curva ten herculeum, ita reposuit Beroaldus. sed cum per interrogationem proferantur alii versus [alii versus om. Perreius] et quidem interrogationum particulis per anadiplosin geminatis iisdemque, non ita elegantia carminis servaretur. ego nihil muto: video enim perseverari [Perreius non ita, sed per . . . ruari: media a bibliopega recisa sunt] in eodem sensu, ut sub specie relligionum et divinationis peregrinaretur Cynthia. lego proinde, Cur esseda portant [portent Perreius] te herculeum Tibur [Tibur

omisit Perreius] ad vatem, id est, ad divinam aliquam ariolam? itidem Cur Appia via ducit te toties [totiens Perreius] ad anum i. sagam? utrobique enim ad praepositio poetico de [om. Perreius] more omissa suppleatur [emissa suppletur Perreius] *Puccius.* vatem Vbald. Cur vatem v. c. *Perreius. Curva te herculeum deportantes sed abitur* Neap., quasi eo consilio ut hac postrema verborum striblígine nos commonefaciat, quam vere invenerit (Muretus fortasse) *Curve te in* ex *Curva tem.* — v. 6. *via*] *tua* Rheg. via *Puccius. ducit* Gron. Puc. *dicit* Neap. *anum* Omnes. *anus* in Menteliano et Guarneriano est. — v. 7. *spatiare* Gron. *quocunque* Gron. Rheg. *vacabis* Gron. Neap. Rheg. f. vagaris *Puccius.*

v. 8. *nam* Gron. *sed* Neap. Rheg.; haerebam utrum verius putarem; itaque vulgatam immutatam reliqui. *sed time. credere turba vocat* Neap. — v. 12. *attaicis* Neap. — v. 13. *Et creber pariter platanis* Gron. Rheg. Quem ordinem retinui, eodem enim Neapolitanus ducit: *Et platanis creber pariter* exhibens. *urgentibus* Gron. Neap. *surgentibus* Puc. — v. 14. *Marone* Omnes. Omissis huius nominis explicationibus, quas alii reiecerunt, assentior Marklando *Anione* legenti, non item ab eodem *suspenso* accipiens pro *sopito.* Demonstrat autem ea mutatio, Marklandum quoque non de flumine sed de *aqua* intellexisse. Quas sicut alii septem miraculis praeponere solent et propter splendorem et propter magnitudinem (Frontinus de aquis cap. 16. Claud. Rutil. Numat. Itin. I, 97 sqq. Stat. Silv. I, 5, 23 sqq.) ita etiam ipse Propertius IV, 22, 17. Erat itaque digna, quam Cynthiae commendaret ambulationem, maxime ex quo (anno DCCXIX) Agrippa aedilis (cf. Frontin. cap. 9. Plin. H. N. XXX, 24, 9) eas plurimis signis, columnis, porticibus, aquis salientibus egregie exornaverat, usus prae ceteris, ut videtur, Anionis aqua in haec opera publica; tum quia turbida minusque ad usus mundiores apta erat (Frontin. cap. 80 et 92) tum quia plurima signa et aquae salientes in Regione XII nominantur, per quam Anio Vetus dividebatur (Frontin. cap. 21.) Neque abludit ab hac regione *Triton aquas recondens,* quum in ea a P. Victore *vicus aquae salientis signumque Delphini* nominentur, quae Tritonis figuram in se conclusisse haud absurde videri possunt, nobile opus, ut a quo Vicus nominatus esset. Deinde orationis structura nobis ostendit, descriptionem huius aquae a versu 14 inceptam non eodem ipso versu iam posse statuam aliquam in se continere; hic enim tantum *sopitum* fluvium audimus, i. e. conclusum, qui antea rapidissimus ire solebat, in breves aquarum canales ac fistulas, et ita compositum; (quae itidem ad unum Anienem nos referunt nobilem fluminum impetu). Ea ergo

rabies, quae mugitu terrere accolas solita fuerat, nunc sopita, versu insequente demum per urbem means *leviter crepitantibus undis* inducitur; perspicuum ex hac re est, Maronis mentionem neque ullius omnino signi in versu decimo quarto iam factam esse non potuisse, quum versus insequens amnis iter per urbem ad ambulationes contineat; versu autem 16 ipsa signa et ambulationes nominentur, quibus spatiari vult Cynthiam, quod illa Regio XII amoris memoria utrique gratissima esse debebat; cf. quae monemus ad eleg. IV, 15, 1 sqq.

v. 15. *Et* Gron. Neap. *Tot* Puc. Egregia lectio, et quae maximopere meam emendationem (quidni enim profitear, ante cognitam Marklandi coniecturam meam fuisse et interpretationem et emendationem) continuata verborum structura adiuvat. — *lymphis* Gron. Puc. *nimphis* Neap. — v. 17. *Falleris*, quum te latere me posse opinaris. — v. 21. *fama iactura pudicitiae* Neap. — v. 22. *mineris* Gron. *meretur* Neap. *mereris*, peccas.

v. 23. *nostras pervenit ad aures* Gron; multo facilior hac quidem lectione oratio fit; sed non potest interpolationis suspicionem effugere. Aperte tamen falsa reliquorum etiam codicum scriptio est: *nostras me laedit ad aures*, quam, utcunque Propertius suus est locis plurimis, non tamen ab eo potuisse venire affirmo. Viam discrepantiae Vaticanus quartus indicat: *nostras me venit ad aures*. Iam enim mihi esse perspicuum videtur, utramque scripturam ex hac fere stribligine

n

verborum venisse: *nostras melavedit ad aures*, unde alii, missa *la*, *me venit*, post *pervenit* interpolarunt, alii *lavedit laedit* putarunt esse, neglecta *n;* ego legam: *nostras*, *mala*, *venit ad aures. mala* aptissima est amice increpantis compellatio.

v. 25. Apostrophat [apostrophe Perreius] ad rumorem, et ut amans excusatoris suscipit partes. *Puccius*. — *credere* Omnes. Sed ad Cynthiam haec verba non possunt dirigi, quae suorum sibi factorum callide conscia erat; quare se ipsum Propertium alloqui affirmant; quod tenor versuum 23 — 29 non patitur, ad unam Cynthiam relatus. Quapropter Scaliger volebat: *Sed* te *non debes* etc. Alienum hoc quoque utcunque per se probum consilium; in ipso enim versu minori eius inanitatem probaret: *Semper formosis fabula poena fuit*. Quid igitur vitae illa probitas castique mores effecerint, si tamen mordacem famam non effugiet formositatis damnata? Et ipsum *formosarum* cognomen levitatem includere solet. Potius hanc famam ob minora ista cri-

mina vereri se negat, idemque ut faciat Cynthiam admonet. Quare lege:

Sed tu non debes inimicae cedere *linguae.*

Huic lectioni unice respondet *lingua inimica.* Deinde autem omne quod insequitur poema et exempla tam Graecarum quam Latinarum, quibus formosas haec negat dedecere, confirmant. Nimirum, licet vehementer irascatur amicae, obsequio tamen eam delinire mavult.

v. 27. *depreenso* Gron. — v. 28. *pura* Neap. manu pr. — vincere, Phoebe, manus *Perreius.* — v. 29. *luxu* Gron. quod praefero; etiamsi enim lusum istum intelligi concedo, non tamen, excusaturus amicam, suo nomine inducere eius nequitiam potest, eamque dicere se aequo animo pati. Haec quidem vel ipsi Cynthiae ignavia visa foret. Reliqui *lusu.* — v. 30. *scrinia* Neap. manu pr. — v. 31. *Tynderis* Gron. *motavit* Gron. — v. 32. *domum est* Gron. Neap. *est* — *domum* Rheg. — v. 33. *quamvis* Gron. Rheg. *fertur* Neap. — v. 34. *Nec* Gron. Neap. *Non* Puc. Difficile iudicium est; aut enim potest *quamvis* ex versu 35 huc irrepsisse videri, eiusque rei indicium esse *Nec*, quod in versu minori etiam Groninganus simulque *quamvis* exhibet, quum tamen alterutrum vitiosum esse pateat; aut potest Neapolitanus *fertur* propter omissum *quamvis* intulisse, ne versus laberetur. Quod mihi quidem factum videtur; tum quia amat Propertius eandem in dinumerando particulam repetere, tum quia non absoluta oratio, in versu 35 per *Quamvis* ingressa, facit, ut ex eiusdem more concludam, similem orationem eamque magis conclusam, quo illa dimidiata quasi fulciretur, fuisse praemissam.

v. 35. *parim* Gron. *parī* Neap. *Pari* Pūc. Quamvis te ida Pari v. c. *Perreius.* — v. 36. *deam*] oenonem scilicet *Puccius.* Venerem dici, certum est. — v. 38. *senes* Gron. Puc. *senis* Neap. — v. 41. *struprorum* Gron. — v. 45. *inpune* Neap. — v. 47. *tacios* Gron. *tacitos* Neap. *tatios* Puc. *durosque sabinos* Omnes. *durasque Sabinas* cum Iano Dousa et aliis omnino scribendum est. — v. 49. *poteris*] *pontis* Gron. — v. 51. *noluit* Neap. — v. 58. Corripuit v. c. *Puccius.* — v. 59. *dane* Neap. — v. 61. *tuque est imitata* Omnes. Probo tamen, quod ex Latino Latinio Schradero placuit [*Alios* habere Lat. Latin. ait]: *es mirata. mitata,* quod Leidensis secundus et Vossiani duo exhibent, glossematis suspicionem admodum minuunt. *mirari* est ἐνθουσιαστικῶς imitari. *Graias aeques imitata Latina* Lachmannus legit. — *latinas* Gron. Rheg. *latinos* Neap.

XXXII. *Ad Cynthiam* Rheg. adhaeret superiori in Neap., recentior manus distinxit.

v. 3. *pereat nilo* Gron. *pereant nilo* Neap. *nilo pereat*

Rheg. — v. 12. Non iniuria in hoc versu interpretes haeserunt, e quibus unus Huschkius ad Tibullum II, 3, 65, nisi fallor, nam ad manus liber non est, *ah quoties* cum Broukhusio mente repetens, codices defendit. Ego vero non tam abrupta dicendi ratione offendor, quam quod nihil novi versu minori docemur; nam in stabulis modo nutriuntur armenta frondibus. Ut autem saepe maioris versus complementum minorem esse didicimus, non tamen id in orationis contentione et irrisione, qualis nostra est, potest fieri, cuius omnis in brevitate laus est. Quid, quod stabulorum mentionem hoc rerum tenore etiam plane perversam esse contendo? Siquidem quies, etiam in stabulis, post longissimos errores nequaquam importuna vaccae miserae fuisset. Correctio autem, orationis proposita serie, sponte se unicuique offeret: Pereat, quae a Nilo matronis Ausoniis sacra misit Inachis! Quae dea unquam amantes toties divisit? [i. e. nunquam, quae quidem dea est, tam acerba fieri iussit; nota etiam divis*it*, ne in sequenti *fuit* haereas.] Sed illa, quaecunque fuit [deam nunc esse nego] semper fuit amara. Atqui longi illi tui errores per orbem terrarum docuerunt te, puto, quid esset longa itinera facere. Neque tamen domi quiete remanere potes? urbem etiam nostram petis? Non tibi satis erat, fuscis Aegyptiis imperare? At nunc, quoniam agrestem figuram Iuppiter detraxit, facta superba es! longe aliter ante affecta;

Ah quotiens quernis laesisti frondibus ora!
Mansisses stabulis abdita, pasta, tuis!

Ah, quoties durissimo cibo te macerasti! utinam his perpetuo pasta esses! utinam in stabulis abdita nunquam nova itinera molita esses, forma humana recepta! Idcirco videlicet superbis! Sed num ideo dea es, superba, quia vacca esse desiisti? At vero, si nimis saeva fueris, *cornua rursus erunt!*

v. 16. *via est* Gron. Rheg. *via* Neap. — v. 20. *thyberi* Gron. — v. 21. *dolore nostro*, i. e. quum ego doleam, tu tamen nimis deae facilis (*placata*) mihi lenta es; confer v. 25 sqq. — v. 26. *At* Gron. *An* Neap. Puc. — v. 31. Tuque o *eurythu* Gron. *Tuque ó euricio* Neap. *Tu quoque et eurytion* Puc. (*Tu quoquè oeurytio* Rheg. Partem verae lectionis omnes servant, quae, ut fit, omnium media est. — v. 35. *est* Gron. Neap. *es* Puc. — v. 37. *perpendent* Gron. *praependent* Neap. *propendent* Puc. *demissa — serta* Gron. Rheg. *demissae — sertae* Neap. — v. 43. *absentes* Gron. (?) *absentis* Neap. Puc.

XXXIII. Cum superiore coniuncta in Gron. Neap. (itaque Rheg.) *alia elegia Puccius*, interductu addito.

v. 1. *credit* Gron. Rheg. recte; *credat*, quod Neapolita-

nus habet, dubitanter interrogantis esset; *credit* simul admirationem in se habet, quae indignationem summopere decet. Nostrates *wirklich* addunt; Latini futurum ponere amant, inducentes quaestionem per: *Ergo.* — *amari* F. M. *amori* Gron. Neap. *amico* Puc. recte; *ille deus* in versu quinto petitus est ex versu tertio: *in amore.* — v. 7. *menelai* Gron. Puc. *menelao* Neap. commode Lachmannus apponit Aeschyl. Agam. 399: *οἷος καὶ Πάρις ἐλθὼν Ἐς δόμον τὸν Ἀτρειδᾶν* etc. — v. 9, 10. *perfide curam Tangere* Gron. Neap. *tangere curam Perfide* Rheg.

v. 10. *nunc tuae tunc* Gron. *non et ne tum* Neap. *non ne tuae tum* Rheg. — v. 12. *Posses* Gron. Neap. Puc. possis v. c. *Puccius.* Posses. possisne *Perreius.* — v. 19. *emulor* Puc. (*aemulor* Rheg.) — v. 21. *Una tamen tanta*[d] *remitto*[e] *crimina causa*[a] *est e*[b][c] Neap. — v. 23. *me fallet* Rheg. — v. 25. *meos* Gron. — v. 26. *lector* Gron. *Solum* adverbium est, unum est, quod laetor, vel sed tamen.

v. 29. *Erethei* Gron. *erechti* Neap. *critei* Puc. (*cretei* Rheg.) Cretei. lege Tirtei. de quo Horat. Tirteusque mares animos in martia bella versibus exacuit. Alii et [om. Perreius] Cretei legunt et intelligunt de Epimenide poeta cretensi, qui scripsit Argonautica. Criteum Homerum a nympha matre Critheide vocari [vocat Perreius] durum quidem, sed receptum tamen a multis. *Puccius.* Alii *Cretaeum* passi sunt, quod, quum possessivum sit neque gentile, delendum est. Turnebus et Scaliger plerosque sectatores nacti *Lucreti* nomen dederunt. Quod variis rationibus falsum invenitur. Praecedit versu 28 *rerum nosse vias;* quae ut per se Lucretiani carminis commoda descriptio est, ita ab hac ipsa versus nostri per *aut* distincta oratio discrepat. Deinde Lucretius neque aetate neque vitae ratione poterat senex dici; et ad Epicurum traducere senem, nomen et carmina relinquere Lucretio quis volet? Et tamen *vester senex* in versu 30 ex communi omnium dicendi ratione philosophi mentionem fieri ostendit, qui plerumque *nostri*, *vestri* tanquam unius familiae essent, vocantur. Hinc Tyrtaei nomen a Puccio et N. Heinsio propositum non admittendum censeo. Iam vero et philosophorum seniorum et poetarum apud Romanos nemo quam Empedocles honoratior est; atque hunc dici praeterea etiam ex versu trigesimo concludo argute ad eum relato: *Nil iuvat in magno vester amore senex*, illius, inquam, *νεῖκος καὶ φιλίαν* ad magnum puellarum amorem ridicule comparat, aut, quod etiam magis probo, *senex in magno*

amore, graeca oratione, coniunctim intelligenda ipsam Empedoclis doctrinam enunciant. Quare eum ita reduco:

Aut quid et Aetnaei *prosunt tibi carmina lecta?*

et est *vel:* Ipse Empedocles, qui totus in amore est, nil te iuvat. Groninganus nomen servavit, una tantum litera leviter mutata, unoque apice omisso: *erethei* i. e. *elethēi* seu *et ethnei*. Sic IV, 1, 45 Aetna mons in Neap. *etha* scribitur. Siculi nomine proprie Empedoclem intelligi, Aetnaeum autem Siculi vices agere supersedeo docere. Propertium hanc reconditam orationem decere, fortasse ad fastidium legentium admonuimus.

v. 30. *vesper* Gron. — v. 31. *philetē* Gron. *philetā* Neap. *philetam* Rheg. memorem Musis passive i. curam Musarum cuiusque meminerunt Musae. ita memorem iram Iunonis dixit Virg. *Puccius*. Corrigere ego nihil ausus sum; conieceram autem *Meropem Musis* nam *Μέροψ Τριόπα παῖς, ἀφ' οὗ Μέροπες οἱ Κῶοι, καὶ νῆσος Μεροπίς* Stephanus ait, ubi cf. Interpretes. Neque ingeniosissimam Lachmanni coniecturam silebo: *Tu* Battus *memorem Musis imitere Philetam*. Ego *satius* interpositionis signo includendum putabam.

v. 32. *inflantis omnia* Gron. Neap. — v. 33. *Nam* Omnes. (vulgo *Non*.) *cursus* Gron. *rursus* Neap. Rheg. — v. 34. *factus* Gron. Neap. *fractus* Puc. — v. 35. *meadria* Gron. — v. 37. *orion* Gron. — v. 38. *Tristis* Arion est, quia praesagus et funesti bellorum exitus memor in ipsa victoria maerens inducitur. *et* Gron. *ad* Neap. Puc. *funere* Gron. *equos* Neap.

v. 39. *Non amphiareae* Gron. Rheg. *Non amphiarerae* Neap. haud amphiarace *Perreius*. *prosunt* Gron. Puc. *prosint* Neap. — v. 40. *Aut capanei grata* Gron. Rheg. *Aut capanei magno* Neap. Capaneus corripit primam et secundam Ovidio, Statio, omnibus. iam et in patrio casu Capanei illa ultima ei ut in Thesei et Orphei profertur. proinde aliqua haud dubie in hoc versiculo desideratur particula, ut satisfiat syllabae *Puccius*. Ex codicibus nihil auxilii certi posse peti apparet. Muretus recentissimo suo (a. 1460) usus, qui habet: *Amphiaraae nil* scribit: *Amphiaraëae nil prosunt fata quadrigae*. Sed auctoritas illa nulla est, nec potest *tibi* abiici. Lachmannus *magno*, tanquam incertae sedis, in maiorem assumens mutatam in *magna* ita versus disposuit:

Non magna Amphiaraëae prosunt tibi fata
Quadrigae, aut Capanei grata ruina Iovi;

In quo *magna* ad fata referre dignius Propertii ingenio videtur, quam addere Iovi, ubi languet. Sed ut *quadrigas* minori tradiderit, nec tam sonoram formam: *Amphiaraëae* suo substantivo in eodem versu explerit, non verisimile est. Ego

potius, si semel pro captu suo librarios refinxisse versus statuendum est, *Prosunt* commune utriusque enunciati verbum minoris initio reponam:

Non magna Amphiaraëae tibi fata quadrigae,
Prosunt, aut Capanei grata ruina Iovi;

Verum quum audacior in hac re esse nollem, (unde etiam, quae de patronymo fortasse reducendo opinabar, reticeo) Perreii, quum interpolatoris suspicionem eius lectio non prae se ferat, fidem amplexus, *haud*, sive ex Puccii sive ex alio codice fuerit, ita postposui receptum:

Amphiaraeae haud *prosunt tibi fata quadrigae.*

v. 41. *et aechileo* Neap. — v. 42. *thoros* Gron. *toros* Rheg. — v. 44. *ingnes* Gron. — v. 45. *anthimacho* Gron. *omero* Neap. Id est non: quam Antimachus, sed: per Antimachum, quem imitaris. — v. 49. *iam* Neap. Ordo versuum verus est et ita oratio a vs. 41 pergit: Quare omisso cothurno iam elegias compone! Nam nil magna te iuvant. Sed scio te non sponte collum praebiturum; ergo te domabo: Puellae non curant etc.

v. 53. *restaverit undas* Gron. Rheg. *restabit* (postremo vocabulo omisso) Neap. restabit ad undas *Perreius*. *restabit erumnas* Mentelianus et alii. Haec lectionis varietas orta videtur ex hac literarum striblígine: *restabiter undas* (*unas* in aliis erat; ut saepe *una* et *unda* confunduntur; et hinc Menteliani *erunas* i. e. *aerumnas*). Ex quo Groninganus fecit: *restaberit undas*, vix probabiliter inauditam formam effingens, alii *er* mutarunt in *ad*; quod Perreius affert. Ego unam tantum literam *r* locum mutasse aio:

Aut si post stygias aliquid est arbiter *undas*.

est aliquid, ἔστι τι. Veram esse coniecturam, versus minor, qui in eadem sententia pergit, demonstrat. In illo enim de Iovis iudicio, utrum consulto in malos fulmina immittantur, nec ne, agitur. Ergo in maiore non de vita orcina, utrum esset nec ne, quaerere volebat, sed de iudicio post mortem, si nos maneret aliquod, nec ne. Similiter IV, 18, 27: *Non tamen immerito Minos* sedet arbiter Orci. Neque tamen hiatum nostri versus ita vitari velim: *aliquis sedet arbiter undas.*

v. 54. *flumina* Neap. — v. 59. Novam hic elegiam incipere, plane non dubito. *externis* Gron. Neap. Puc. (*aeternis* Rheg.) *hesternis* f. *Puccius*. Ita Mentelianus. — v. 61. *virgilium* Gron. *virgilio* Neap. Rheg. supple fas est, licet, aut quid verbum simile *Puccius*. — v. 63. *aeneae* Gron. *aaenaae* Neap. *in aeneae* Rheg. *Troianaque* Gron. recte: *arma virumque;* durior oratio genitivo *Troiani* quem reliqui servant, originem dedit. — v. 64. Ergo etiam Propertius legebat:

Lavinaque venit Litora. — v. 65. *grai* Neap. Rheg. — v. 66. *quod* Neap. — v. 67. *umbrosis* Neap. *spineta* Gron. — v. 68. *Thyrsim* Gron. *adtritis* Neap. — v. 69. *male* Gron. *puellas* Omnes. — v. 70. *inpraesis* Neap. *edus* Gron.

v. 74. *ingratae* Neap. *ingrate* Rheg. huic nostrae canat ingrate, i. minime acceptus, licet, i. [i. omittit Perreius] etiam, ipse Tityrus *Puccius. ipsa* Neap. — v. 73. *alexim* Gron. Rheg. *alexin* Neap. — v. 76. *facilis* Omnes. — v. 79. *testudine. quale* Neap. — v. 80. *impositis* Gron. Neap. *teperat* *legenti* Neap. — v. 81. *iuventi* Neap. eadem manu. — v. 82. *sive periturus* Neap. — v. 83. *aut sim* Gron. Neap. Puc. *minor ore canorus* omittit Neap. — *si* multi recentiores recte; *m* a voce *minor* male adhaesit. — v. 84. *Auseris* Neap. Sensus est: Neque tamen ita animatus (i. e. haec levia tractans,) minor es; aut si minor es, i. e. si magna heroici carminis verba non aequas, anseris indocto carmine (assumpto) olor canorus cessit; i. e. olorino tuo cantu abstines, rurisque naturam induis sponte.

v. 86. *lauchadiae* Gron. *locadie* Neap. *Leucadiae* Puc. — v. 90. *quintiliae* Omnes. (non *Quinct.*) — v. 91. *liquoride* Gron. Neap. *quam* Omnes. *multa vulnera* ἀμφιλόγως et ea dicit, quae ipse sibi inflixerat, et ea quae Lycoris.

LIBER QUARTUS. [TERTIUS.]

Propertii Aurelii Nautae liber III Rheg.

I, v. 1. *choi* Gron. Rheg. *coi* Neap. — v. 5. *quo*] *quid* Gron. *tenuistis* Gron. *tenuastis* Neap. Puc. — v. 10. *Natam Musam* non minus fero, quam *humorem equi* IV, 2, 2, et alia multa. — v. 11. *currum* Neap. — v. 12. *sequuta* Gron. — v. 16. *canant* Gron. *canent* Neap. Puc. hoc praefero; non enim concedit sed vaticinatur. — v. 17. *monte*] vel fonte *Puccius.* — v. 19. *vestro date* Gron. *date vestro* Neap. Puc. — v. 22. *duplicei fenore reddit onus* Neap. *honus* F. M. — v. 23. *Omnia*] *Fame* Neap. *vetustae* Neap.

v. 25. *Ab regno* Gron. *artes* Neap. — v. 26. *aemonio* Gron. Rheg. *hemonio* Neap. *quominus* Gron. *esse* Neap. — v. 27. *simoonta* Gron. *cunabula parvi* omittit Neap. i. e. quamquam Iovis origine insignis, tamen Ida sine poetis obscurus esset. — v. 28. *per* omnes codices tenent, nec est quod in *ter* mutemus. — v. 29. *Deiphaebumque* Gron. *Deiphebumque* Neap. *Deiphobumque* Puc. *polydamantes in* Gron. *poliledamantes in* Neap. *pulydamantes in* Puc. aut lege pylydamanta sub armis, aut pulydamantas plurative dixit, ut ipsum et sui similes alios significaret *Puccius.* Reciperem Puccii scripturam, nisi ipsius Puccii correctionem, non codicis lectionem esse, verba aperire vi-

derentur; copulam enim interdum ita a Propertio omitti, ut aegre a nobis desideretur, iam aliquoties animadvertimus. Multo tamen rotundior Lachmanni lectio est: *Polydamanta, et in armis;* cui id accedit, quod pluralem cur Propertius praetulerit, haud facile dicas. *s* autem et sigla *et* tam similes sunt, ut minimo oculorum errore confundantur.

v. 30. *parim* Gron. *parin* Rheg. — v. 31. *n̄ cilion* Neap. *ilios* Puc. Utra forma a Propertio sit non iudico, quamquam Troia terra urbi opposita facit, ut *Ilios* verior videatur. — v. 32. *oetc in numine* Neap. — v. 33. *memoratur* Gron. — v. 36. *augur . . .* Neap. (spatio vacuo relicto) *esse* Gron. *ipse* Neap. Puc. — v. 38. *Promissum lytio* Gron. *lycio* Neap. — v. 39. *Ad librum secundum* Rheg. (*Ad librum suum* Mentelianus.) interstitium in Gron. et Neap. — in altero coniuncta in altero disiuncta est elegia *Puccius.*

v. 40. *insolito* F. M. Neap. (ita Rheg.) *et solito* Puc. *ut solito* Gron. (certe Liv. et Schraderus tacent.) — v. 41. Hic apud Vulpium, praeeunte ed. Gryphii, Canterique et Dousae nova incipit elegia. Quae divisio fortasse vera est. *Orphea* Gron. Neap. (ita Rheg.) *Orpheu* Puc. *detinuisse* Gron. Neap. *te tenuisse* Rheg. detinuisse v. c. *Puccius.* — v. 42. *detimuisse* Gron. (Io. Schraderus tentavit *detumuisse*) *sustinuisse* Neap. Rheg. cf. Aetnam Lucilii v. 118. et interpretes ad Rutil. Itin. I, 154. *Devehat hinc ruris, subvehat inde maris.* — v. 43. *ciceronis* Neap. — v. 44. *innumeri* Neap. — v. 45. *galethea* Gron. *sub umbra* Gron. *sub etha* Neap.

v. 49. *tenareis* Neap. — v. 51. *pheacias* Gron. Neap. *phaeacias* Puc. pheaciás. Tibullo et aliis in pheacia a secundae syllabae producitur. *Puccius. Phaeaces* Nestor praebet, *Phaeacas* Excerpta Scaligeri. — v. 52. *ante* Neap. — v. 53. *grata* Gron. quod praefero; reliqui *cara.* — v. 54. *Et* omittit Neap. — v. 55. *est* Gron. Neap. *es* Puc. — v. 56. *monimenta* Rheg., de Gron. et Neap. non constat. — v. 57. *ducti*] *caeli* Gron. — v. 59. *Haec* Gron. — v. 60. — *vacat* Rheg., quod paene inducor, ut *vacant* reliquorum lectioni praeferam; amant Elegiaci proximo addere verba substantivo. — v. 61. *subducit* Neap. — v. 62. *pondere* Neap.

II, v. 1. *Nisus* Puc. nisus eram a nitor *Puccius.* — v. 2. *elloforontei* Neap. — v. 4. *Tantum operis*, quo cum audaciae admiratione orationem interpellat, parenthesis nota distinguendum erat. — v. 6 *sciens* Neap. *ibit* Neap. — v. 7. *corios* Neap. — *oratia* Gron. — v. 8. *Regia que milia* Neap. *trophaea ratae* Gron. — v. 10. *versos apia* Neap. — v. 11. *lacies* Neap. — v. 19. Mutavi versuum interpunctionem. Plerumque *ut* prioris versus apodosin habet; sed et comparatio ita in protasi ince-

pta, male in apodosi deseritur, et oratio, ut ego disposui, magis ex Elegiacorum more est. *Ut* est licet: licet iam nobilis sis, tamen ne superbias, moneo.

v. 21. *perscripto* Neap. *seuecta* Puc. *uiro* Neap. eadem manu. — v. 23. *harenas* Gron. — v. 26. *Quo* Neap. *musculo* Gron. *solo est* Gron. Neap. Puc. — v. 27. *adfixis* Neap. — v. 29. *Ergo* transitum parat ad rem gravem, in enumeratione. *silleni* Gron. Rheg. — v. 30. *pan tegee* Gron. *pategeae* Neap. *pane tegeae* Rheg. pan tegeae tui *Puccius*. — v. 31. *Ut* Gron. *volucres dominae* Gron. — v. 32. *Tingunt .... pumica nostra* Neap. (puncta vacuum inter voces significant spatium relictum) — v. 35. *aederas* Gron. *hederas* Puc. — v. 36. *Apta at* Neap. prima manu. — v. 39. *cignis* Gron. *cygnis* Puc. — v. 41. *sint* Gron.

v. 42. *Flere nec* Omnes. Iani Dousae emendationem *flare* recipiendam putabam. *cincere* Gron. *tinguere* Neap. Puc. tinguere Marte, seu sanguine Martis *Puccius*. — v. 45. *sevo* Gron. Neap. *saevo* Rheg. vel Suevo *Puccius*. Non satis perspicuum, an hanc lectionem in codice invenerit, probarit utramque. Verisimile facit Beroaldi animadversio: *quamvis in multis codicibus scriptum sit, saevo sanguine*. Etiam quod *Suevo* in Italicis est quatuor, fidem auget. Quapropter multis recipienda haec lectio in ipsum carminum tenorem fuisse videbitur. — v. 49. *excantare* Gron. Neap. *exorare* Puc. (*extaurare* Rheg.) exornare v. c. exorare v. c. puccii. magis placet. *Perreius*. — v. 52. *philectea* Gron. *philitea* Neap. *philetea* Puc.

III. *Descriptio triumphi* Rheg.

v. 4. *tua*, numeri mutatio, Propertio familiaris. — v. 6. *parta trophea* Gron. — v. 8. Iacobsius (Blumenlese) legit *cludite* afferens Sil. XV, 655 et Stat. Theb. XI, 58. Mihi recte omnia habere videntur. Abundare *muneris* vocem plerumque dicunt in eiusmodi oratione; parum tamen caute. — v. 9. *Omnia* Gron. (?) *Omina* Neap. Puc. *classes* Gron. *clademque* Gron. Neap. *cladesque* Rheg.

v. 11. *numina* Gron. *lumina* Neap. *limina* Rheg. f. lumina, propter ignem *Puccius*. — v. 17. *bracati* Gron. — v. 19. *prolem serva* Rheg., quod praefero; reliqui *serva prolem*. — v. 22. *Me* Gron. Neap. *Mi* Rheg. *media* Rheg. f. *sacra Puccius*. sacra v. c. *Perreius*.

IV. *Ad amicam iratam* Rheg.

v. 1. *est* omittit Gron. — v. 2. *Stant* in *Sat* mutant. Eodem fere oratio redit, nec corrigenda videtur. — v. 3. *Non* F. M. *Tamen* cum emphasi, ut fit, praeceptum est. Sensus:

Pacem colo, (quamquam perpetua cum puella bella gerenda sunt;) nec avarus sum, nec tamen dives. Blanda tamen Lachmanni correctio ; *tantum.* — v. 6. *aera* Gron. Puc. (*ire* Rheg.) *aere* Neap. *aera clade Cor.* sunt aera Corinthi clade effecta; *miser* de omni libidine valet; misere cupio.

v. 7. *frangenti* Neap. *promotheo* Gron. — v. 8. *paurum* Gron. *caute* Neap. — v. 14. *ad infernas — rates* Omnes. ab inferna rate *Perreius.* — v. 15. *miscebimur* F. M. *miscebitur* Neap. Rheg. *undis* Gron. *umbris* Neap. Rheg. Quum *miscebimur* satis trepida auctoritate utatur, *miscebitur*, quod non minus bene dicitur, recipiendum erat. Neque *umbris* carere volebam; quidni enim victorem illic mixtum iri cum victis possit dixisse? ex *undis* Groningani *Indis* viam Ianus Guilelmus munivit. Quos aeque sperno quam *miscebimur. undis* si uti volueris, quod ex versu 13 huc venisse aio, facile *infernas* ex versu maiore, qui praecedit, supplere poteris. — v. 17. *hyro* Gron. Puc. Aphthonius in progymn. *σκόπει τὸν ἴρον* *Puccius.*

v. 18. *parca* Omnes. parca, parce acta, et modica conditione *Puccius. apta* Gron. Rheg. *acta* Neap.; etiam Puccium in suo codice *acta* legisse, ut Palatinus habet et Bononiensis cum duobus Vaticanis, ex eius scholio iure nostro concludimus. Neque minus vera Lachmanni correctio est: *Parcae*, quam recipiendam statuo. Si *apta* tueri velis, *die* pro: *diei* erit: mors Parcae diei apta et congruens. — v. 19. *iuvat* Gron. Neap. Rheg: neque hic ex Menteliano Heinsius coniunctivum notavit. — v. 20. *inplicuisse* Neap.

v. 21. *iuvat* Gron. Rheg. *iuvet* Neap. et Mentelianus. — v. 24. *integras* Gron. *et integras* Neap. *et nigras* Puc. — v. 25. *liceat* Gron. — v. 28. *luna*] *plena* Neap. — v. 30. *peremnis* Gron. — v. 31. *Sit* Gron. Neap. Rheg. Mutant in *Si*; quod faciendum nego. — v. 33. *per Aebi* Gron. *per hebi* Neap. *perrhebi* Rheg. — v. 34. *attractis* Gron. — v. 35. *seros* Neap. *boves et flamma boon* Neap. — v. 36. *cohit ingne* Gron. — v. 39. *sint* Gron. Neap. Rheg. *gigantum* omittit Neap. — v. 40. *Tesyphones* Neap. *ferit* Gron.

v. 41. f. Anne *Puccius. almeoniae* Gron. (sic et Rheg.) — v. 42. *Non-non-non* Neap. — v. 43. *Non* Neap. — v. 44. *et* Gron. Neap. *an* Puc. — v. 45. *gentis* Neap. — v. 46. *aut* Gron. — v. 47. *superet* Gron. *superest* Neap. Rheg.

V. *Ad Lygdamum* Rheg.

v. 2. *lydame depta* Neap. — v. 3. *Dum* Gron. *Non* Neap. *Num* Puc. — v. 5. sine vano nuncius esse Gron. Neap. Puc. (*sine vanis esse relator* Rheg.) quam prioris lectionis glossam, insignem quidem, pluralis *vanis* patefacere videtur. — v. 6.

timens Omnes. timens, reverens fallere *Puccius*. *serus* Neap. Hoc distichon variis modis tentatum in omnibus partibus, uti codices referunt, Propertii manum exhibere contendo. *Enim* ad versum primum refertur; cuius decursum postquam propter animi tumorem precationibus interpellavit, nunc denuo compellatio ad fidem ab officio desumta excipit. Quam vel ideo omittere non possumus, quia insequens versus *Nunc mihi* etc. ad hanc unice relatus, hoc disticho abiecto, hiabit. Haec mihi tam vera videntur, ut nolim facili mutatione hos versus ita iuvari:

Dic mihi de nostra, quae sentis, vera puella; —
Sic tibi sint dominae, Lygdame, dempta iuga,
Ni me laetitia tumefactum fallis inani,
Haec referens, quae me credere velle putas! —

Ceterum participium *timens*, graeca magis dialecto quam Romana usitatius (est autem *etiamsi times*, in qua particula comparationis indoles inest,) nec a Propertii natura abhorrens, nec ab interpolatore inventum esse potuerit.

v. 7. *Non* Neap. — v. 9. *Sic eam* Gron. *Si ca* (vel *ea*) Neap. *Sicut eam* Rheg. *Siccine*, Mureti, ut videtur, inventum verissimum e carminum tenore eiicere, quum cuncti acceperint, verecundatus sum. Sic*in*eam ex perpetuo illo errore in sic*ut* eam transierat. Fatendum tamen, *Siccine* plerumque in animo vel ira, vel dolore, vel indignatione commoto valere; ubi audiendi acrem cupidinem in se habeat, nullus nunc ad manum locus est. — v. 11. *lygadame* Neap. — v. 12. *nullave* Gron. Rheg. *nullane* Neap. istud praetuli. *Ne* interrogantis eius est, qui ornata fuerit nec ne Cynthia audire cupit. Hae autem interrogationes cupidam potius relatorum repetitionem continent, quae cum laetitia confirmatum iri a Lygdamo exspectat.

v. 13. *At* Gron. *Ac* Neap. Rheg. *maestam*] *vestam* Neap. — v. 15. *tristeis* Puc. (*tristis* Rheg.) — v. 19. *ligadame* Neap. — v. 22. *Nullo* Neap. Varia ratione tentatum versum nihil offensionis habiturum spero, si legatur:

Ille potest nullo miseram me linquere facto,
Aequalem et *nulla dicere habere domo?*

Ille me unam amare se audet dicere, quam tamen nullam ob causam deserit? Nimirum, quod saepe Propertio obfuit, ut omissa copula vitii suspicionem eliceret, hic ei etiam accidit. Neque ego eam particulam, quam modo ob explicationem interposui, ipsi Propertio supponendam indico. Alteram autem puellam a poeta praeter se amari, hic quidem

suspicatur, mox, ut amoris mos est, tamquam de certa re arguit rivalemque exagitat Cynthia.

v. 25. *muneribus* Gron. — v. 26. *bombi* Neap. — v. 28. *ex sectis* Gron. *exectis* Neap. Puc. Similiter apud Horatium Sat. I, 8, 43: *variae quoque dente colubrae*, i. e. lectis anguium ossibus, non omnibus, veneficae utuntur. — v. 29. *rotantia* Gron. fortasse *vacantia*, deserta. — v. 30. *victa* Gron. *vita* Neap. *viro* Omnes; *toro*, quae N. Heinsii emendatio est, in ipsum carminum tenorem recipere non dubitavi. — v. 31. *somnia aligdame* Gron. *sompnia lygadame* Neap. *somnia lygdame* Puc. hunc consensum codicum turbare veritus neglexi scribere, quod vulgo ex Menteliano ponunt: *mea, Lygdame, somnia.* — v. 36. *lygadame curre viam* Neap. — v. 39. *cum simili* Gron. *consuli* Neap. *consimili* Puc. — v. 40. *Iurabo et* Gron. *Iurabo* Neap. *Iurabor* Rheg. — v. 41. *Quod nisi et tanto* Neap. — v. 42. *lygadame* Neap.

VI. *De morte peti: et mala avaritiae* Rheg.

v. 1. *es* om. Neap. — v. 2. *inmaturum* Gron. — v. 9. *At* Gron. *pie* Puc. (*pia* Rheg.) — v. 12. *capatium* Gron. *est* omittit Gron., habent Neap. Puc. — v. 13. f. memor *Puccius.* memor v. c. *Perreius.* — v. 18. *Mater tibi in ore est* Neap. — v. 19. *Omnia* Neap. — v. 22. *Qua* Gron. Neap. Rheg. *nota* Gron. *argivis* Gron. *agynni* Neap. *arginni* Puc. (*argivum* Rheg.) arginni v. c. *Puccius.* Retinui in hoc versu codicum lectionem; non quo probaretur, sed quia, quae vera esset, haerebam. Recepissem *Quae*, si, (ut Burmannus ait,) ita in Groningano legeretur; nunc quidem non audeo, quod altera via, eaque fortasse tutior, ab aliis monstratur codicibus, qui *natat* exhibent. est tamen eorum levis auctoritas, Vaticani quinti, Dorvilliani, Askeviani; amplectebatur hanc Passeratius. *minantis* non iudico in *minacis* esse mutandum, quum absolute positae vocis exempla haud desint.

v. 24. *iphigenea* Neap. Aio hoc distichon omni modo abiudicandum et eximendum esse Propertio. Ad quem enim ex historia petita haec eruditio pertineat? Et quam putide inducta: *Hoc iuvene amisso Atrides classem non solvit.* Ita quidem puri putique scholiastae loquuntur. Non nego poetas antiquos interdum simili oratione nos offendere, ut in Horatiano illo carmine offenduntur multi stemmate Lamiae, non ego. Verum quis in hac doloris plenissima querimonia hunc pannum assutum non spernat? Sed quia in argumentis, quae a pulchri iudicio deducuntur, vix unquam homines concinunt, alterum addam certius. Distichon, quod omnes ita, ut ego exhibeo, codices scribunt, insequens, nemo potuit explicare propter istud ipsum suppositium, quod artissime iuncta disiun-

git. *Reddite* enim refertur ad *litora aquae;* sensu, si malos versus amiseris, et aperto et pulchro:

Sunt Agamemnonias testantia litora curas,
Qua natat Argynni poena, minantis aquae.
Reddite corpus humo! positaque in gurgite vita
Paetum sponte tua, vilis arena tegas!

Verisimillimum etiam in hac sententiarum coniunctione id fit, quod supra monebam, ut *natat* esse legendum putemus.

v. 25. *positaque* Gron. Rheg. *posita est* Neap. Atque haec oratio etiam magis animum dolentem decet: Praedam habetis; corpus reddite. — v. 29. *Ire* Neap. *curvae et* Omnes. *contexite* Gron. *terite* Neap. *quoque texite* Rheg. *con* in Groningano, *quoque* in Rhegina apertae interpolationes sunt. Passeratius, omnium puto, ut tulit, laturus suffragia *curvas* induxit rates. *et* explicativum est. — v. 33. *Anchora* Gron. Rheg. *Ancora* Neap. — v. 34. *quoi* Gron. — v. 37. *insidias* Gron. *insidians* Neap. Rheg. Hanc vocem et codicum auctoritate magis munitam et doctiorem praetuli. — v. 39. *triumphales* Gron. Neap. Rheg. *triumphalis* Vossianus tertius et Leidensis secundus. *carpharea pupes* Neap. — v. 41. *flebat* Rheg. et Mentelianus.

v. 42. *cum* Gron. *soli non* Omnes. Non indigemus Lipsii coniectura: *cui soliti;* nam Ulyssi, ut reliqui omnes doli succedebant prospere, ita uni et *soli*, quos in mare exercuit (Aeolios inclusos utribus Euros dicit) nihil valuerunt. — v. 43. *Quod si* est: quapropter, si; i. e. quum tam certus nautarum interitus sit. — v. 46. *et in terra* Gron. *at in terra* Neap. *at interea* Rheg. *flere* cuncti codices acriter tenent; est mihi tamen certissimum, esse corrigendum: *nil ubi* flare *potest;* ubi venti nihil possunt. IV, 2, 42 eundem omnibus libris errorem insidere vidimus. — v. 47. *hic* Gron. Rheg. *haec* Neap., quod primo adspectu blandum non tamen recepi; namque *hic* (in mari) opponitur thalamo delicato, ubi *flare* nocere nihil poterat.

v. 49. *chio* Gron. Neap. *thiae in* Puc. *calamo* Gron. *thalamo* Neap. Rheg. *orytia* Gron. *orythia* Neap. Rheg. — v. 50. *Et fultum* Gron. Neap. *Effultus* Puc. Insigne libri Pucciani de hoc loco meritum est; deploratus enim antehac, nunc integerrimus cuique videatur necesse: Utinam in terra mansisset Paetus, ubi nulli ventorum furores timentur! Hic, in mari, procellas audire non natus erat, sed in molli cubiculo molliter stratus. Huic nunc fluctus vivo etc. Quod versus minor: *Et duro teneras* evagetur aliquantum ab instituta comparatione, non vereor, ne quisquam dedecere poëtam putaverit.

v. 52. *in visam* Neap. In his versibus, quod iure reprehendi possit, nihil invenio. *invitam* Heinsianus habet. *vivo*, in versu maiori, explicatur per versum 53., versus noster per vs. 56. — v. 60. *vasta* Rheg. — v. 61. *alcinoum* Gron. (sic Rheg.) *alcyonum* Neap. Puc. *affigar* Gron. *adfligar* Neap. *affligar* Rheg. — v. 63. *eveat* Neap. — v. 66. *noxque* Gron. Rheg. *voxque* Neap. f. vox *Puccius*. — v. 68. *tracta* Neap. *thetis* Gron. Neap. *theti* Puc. — v. 69. *subponere* Neap.

VII. *Ad Cynthiam* Rheg.

v. 1. *hesternas* Gron. Neap. Puc. (*externas* Rheg.) — v. 3. *Cur* Gron. Neap. *Cum* Puc., quae particula sensum ab hoc loco alienum daret. — v. 4. *Proicis* Gron. Neap. — v. 6. *me* Rheg. — v. 11. *gravida* Omnes. *rabida* Scaliger dedit. — v. 12. *Quae* Puc. Quod recepi; nam in versu sequenti copula deest. Neque hic Propertii mos est, enunciatum tertium sine copula addere secundo, quod per *et* copulatum est. Id quidem Catoni, Dirarum scriptori, familiare est. Habet tamen hanc formam V, 1, 81 sq., nisi voles: *obliquae* et *signa* etc. reliqui *Et*.

v. 13. *Custodem* Gron. *Custodum* Neap. Rheg. *circa* Gron. Neap. (ita Rheg.) *circum* Puc. *se stipat* Gron. Neap. *quae stipat Perreius* Recte; nam quae se custodibus stipat, ea aut fragilitati suae timet, quod ab hac descriptione abhorrere dicimus, aut difficultate accessus incitare amorem magis studet; quod propius quidem ad nostram rem pertinet, sed non omnino satis facit. Hinc enim habemus non artes meretricias calentem, sed iracundam et furentem amoris stimulis; ea suspiciosa cingit potius quem amat custodibus, ne sese fallat. — v. 14. *Seu* Gron. Neap. *Quae* Puc. Non minus probanda quam priores lectiones; huius furibundi incessus duplex mox causa inducitur per *seu — seu*, altera in timore propter tristia somnia, altera in ira propter fraudes amoris posita est. — *acta* Rheg. — Ita demum egregii huius codicis beneficio plenam descriptionis formam habemus, quacum sequentia unice conspirant.

v. 17. *hauruspex* Gron. — v. 18. *Nam* Rheg. *certo dedici* Gron. *didici certo* Neap. Rheg. — v. 19. *iniurgia* Neap. — v. 21. *In morso* Gron. Neap. *Immorso* Puc. — v. 25, 26. Vere haud dubie iudicat Lachmannus, quum alienos ab hoc loco hos versus esse edicit. Possunt quidem in nostro argumento aliquo modo defendi, si de periculoso amore, cui maritus tectis signis oculisque loquacibus fallendus invigilat, quasi hic sibi gratus sit docere dicantur. Neque tamen vel sic aut inter hos versus interponi aut sine aliis alicubi collocari possunt.

v. 27. *quae* Gron. Neap. *quum* Puc. Praeferenda iam erat haec optima optimi codicis lectio egregiae ceteroquin correctioni: *quos*, quam quidam codices recentiores ostendunt. Antiquiores, veluti Plautus, saepius, quam seriores ita loquuntur, *odi*, *doleo*, *gratulor*, *quum* etc. — v. 28. *iratam* Gron. Rheg. non male. *irata* Neap. — v. 29. *grata* Omnes. Fruterius et alii *Graia* dederunt. — v. 37. *tendisti* Gron. Rheg. *tendisti* pro tetendisti *Puccius*. *nexisti* Neap., quod Diomedis, Prisciani, Nestoris auctoritas tuetur. Quod autem Diomedes Maecenati hunc versum tribuit, fortasse inde factum est, quia hic liber et tertius Maecenatis nomine erat inscriptus, ut primus Cynthiae. — v. 39. *fraudate* Gron. *furande* Neap. Rheg. — v. 40. *Offensa* Gron. Puc. *Offensam* Neap.

VIII. *Ad Mecoenatem* Rheg.

v. 6. *pressum* Gron. Neap. *pessum* Puc. pessum *Perreius*. *terga dare* varias in metaphoras declinatur; in quibus tamen omnibus quum fugiendi notio propria inhaereat, quae hic est spernenda, nequaquam verisimile videtur, Propertium aliquid in usitatissima ea forma loquendi voluisse novare. Haec causa est, quod *pessum dare* Puccii reposui; describitur is, qui totis simul viribus fractis concidit. — v. 7. *Omina* Neap. — v. 8. *Flamma* Gron. Neap. *Fama* Puc. *eoo* Gron. *iugo* Neap. Puc. de sensu vide Lachmannum.

v. 9. *hysippo* Gron. — v. 10. *calais* Gron. *calamus* Neap. *calamis* Puc. — v. 11. *poscit* Neap. — v. 12. Pireicus parva. ita legit Beroaldus, quia a Plinio huic pictori humilitatis gloria datur *Puccius*. Et assentientem sibi habuit Picum. confer de Pyreico, si verum nomen est, Plin. H. N. XXXV, 37. Neque tamen fugandus Parrhasius, qui ex Plinio ibid., 36, 5 *pinxit minoribus tabellis libidines, eo genere petulantis ioci se reficiens*. Putandum autem est, minores istas tabellas satis per se notas fuisse Maecenati, ut descriptione non indigerent, quam *iocum* ex *loco* faciens Lachmannus intulit. tum qui locum sibi vindicat, reliquos omnes inde depellit, ergo summum locum simul obtinet, eum quidem, qui ipsi summopere defendendus videtur.

v. 13. De argumentis Mentoris cf. Winkelmanni Opera Vol. VI, pag. 206. — v. 14. *Ad miros* Gron. *Ad muros* Neap. *At myos* Puc. — v. 15. *armat* Gron. cf. Stat. Silv. IV, 6, 25. — v. 16. *Praxiteten* Neap. *Praxitelem* Rheg. *propria - urbe* Omnes; Beroaldus ex Codicibus *Parius* proponit, unde *Paria* scribunt. Ego nihil corrigere audebam, et quia Pentelico marmore Cnidiam alii factam memorant, et quia Praxitelis patriam non novimus, eam autem *propriam urbem* nominare poterat.

v. 17. 18. *Sunt* Rheg. — v. 20. *queque* Neap. — v. 21.

recepti Neap. Pronominis in antithesi omissi haud pauca exempla ex Propertio colligere poteris. — v. 22. *tuis*] superscriptum alia manu *meis* Neap. — v. 25. *pugnatos* Gron. — v. 26. *honorare* Gron., quod nolim quemquam fallere specie. — v. 33. *victa* Neap. — v. 35. omittit Neap. — v. 36. *Tuta* Gron. *Tota* Neap. Rheg. *est fl. nostra ratis* Gron. ratis v. c. *Perreius*. Duos hic habemus versus optimos; alterum Groningani: *Tuta sub exiguo est flumine nostra ratis*, alterum reliquorum: *Tota sub exiguo flumine nostra mora est*. Atque optandum profecto esset, ut ex coena hac dubia alii alicui loco Propertiano integri sensus maxime indigo sportulam liceret transmittere. Utcunque autem res placebit, ne utriusque versus lectiones misceantur, censemus. Sensus prioris est: Tuta non tumida curo. Bene autem ratis carinae, tutum tumido, mari flumina respondent, et praepositio *sub* huic orationi imprimis conveniens est; namque ut, quicunque ab aliquo defenditur, sub eius tutela tectus est, ita etiam is, cuius securitas a remotis propter exiguas undas periculis pendet, *sub* exiguo flumine tutum se optime praedicat. Minus clara eiusdem praepositionis vis in versu est altero: *Tota sub* etc., quod iam inde patet, quia varie potest exponi. Ego dico sub flumine esse eum, qui ripas radat; in quo, quum propter artum fiat alveum, securitatis notio continetur simul. Liv. XXIX, 5: *si Poenus* sub angulo *Alpium quietus se contineat*. Eundem sensum habes III, 23, 13 et IV, 2, 23 apud nostrum. Sed an tutae huius securitatis princeps in nostro loco possit mentio fieri, alia res est. Maecenatis enim exemplo se stare professus erat; in humiles eum se collegisse umbras. Num iam hoc satis urbane dici, vel etiam vere putaveris, propter tutam id illum a periculis factitasse vitam? Nego; praesertim quum omnis antithesis in una hac voce, in versus initio collocata, quasi condensetur. Minus improbarem: *Nostra sub exiguo est flumine tuta ratis*. Hinc fit, ut praeferam alteram: *Tota sub* etc., cuius latinitas non sane minus exquisita, sensus autem clarissimus sit: Ego totus habito in rebus humilibus.

v. 37. *Non phebo* Neap. *sedisse* Gron. Neap. Rheg.; non reiicio prae aliorum: *sidisse*, quod a quo inventum sit, non satis scio; spernebat etiam Ruhnkenius. — v. 38. *Cambi* Gron. Particulâ *semper* Propertium innumeris locis versum sustentare, scimus quidem; sed est tamen vix dubium, quin hic Lipsius *septem* esse scribendum recte iudicarit; quod recipe. Septem ab utraque parte cecidisse duces, eaque dici *proelia*, non est, quod moneam.

v. 44. *dure* Gron. Neap. *Coe* Puc.; utcunque hac aucto-

ritate nunc ea lectio defendi videtur, mira tamen ab altera ad alteram vocem aberratio est. Suspicabar aliquando: *Duri poëta.* — v. 45. *curant — curant* Gron. Neap. *curent — curant Puccius. Haec* pueri curent, haec curent scripta puellae *Puccius.* Haec ab aliis quoque probata correctio et liberior videtur, et ad versus minoris tumorem admodum frigida oratio; quapropter *urant — urant* a Guyeto et Passeratio profectam lectionem praetuli. — v. 46. *clamant* Gron.

v. 47. *minacem*, quod ex Menteliano Broukhusius affert, Heinsius hic non notat. v. 48. *oromodonta* Gron. Rheg. *oromedunta* Neap. *Eurymedonta* reponendum esse, persuadet Huschk. Anal. litterar. pag 320 sqq. — v. 49. *de certa* Gron. — v. 51. *arbore* Gron. — v. 55. *Castraque Pelusii* Omnes. Ingeniosa quidem et erudita Lipsii aliorumque correctio est *Claustraque*; neque tamen facile probari potuerit, ita voluisse, nec *castra* Propertium dicere, quod probum est. — v. 57. *Mollis* Omnes. *Mollia* Broukhusius, quia *mollis fautor* dici latine nequeat. sed quum *mollis* is etiam dicatur, qui faciles ad precandum aditus habeat, adeatur autem hic precibus fautor, quidni eum mollem dicamus fautorem? — *factor* Neap. — v. 58. *inmissis* Gron. Neap. Rheg. (non *immissis*)

v. 59. Tuenda huius carminis sedes brevi argumenti expositione videtur. Petierat a Propertio Maecenas, ut maiora sibi (fastos suasisse putarim) canenda eligeret. Id se poëta recusat facturum; fautoris exempla se secutum humilia agitare. Haec pars ad versum 46 pertinet; inde mollescit: *Te duce* etc.; etiam ego maiora, quamquam non natus ad ea, sequerer. Ergo novi instituendi cursus tu mihi da signa, ut nisi aliam laudem, eam certe deferam, tuas me partes servasse fideliter.

IX. *De natali suae amicae* Puc.

v. 6. *Ponet* Neap. *minax* Neap. Hoc esset: unda minax ad litus propulsa (*in sicco*) se ponat; ut venti ponunt. Fere hanc ipsam Propertii manum dicam. — v. 8. *niobes* Gron. Puc. *niobe* Neap. Non exspectaveram in hoc versu codices esse consensuros in forma satis nunc quidem ingrata sigmatismo auribus; sed parendum eorum erat auctoritati. — v. 9. *Halcyonum* Gron. *ytim* Gron. *itim* Neap. *itym* Rheg.

v. 17. *forma* (correctum ex *fortuna*) *peremnis* Gron. Neapolitanus versum 17 et 18 omittit. — v. 22. *crocynonaris* Neap. *mirreus* Gron. *murreus* Neap. Rheg. *ungat* (non *unguat*) Omnes. — v. 24. *sine* Gron. — v. 25. *que* omittit Neap. — v. 26. *aura* Gron. Neap. *ara* Rheg. f. aura, i. plausu *Puccius.* — v. 27. *interpretre* Gron. — v. 32. *ter* Gron. quod idem Mentelianus

et Vossianus unus habent; Guarnerianus autem *ter sic* simul exhibet. *sic* Neap. Rheg.

X. *De imperiis foeminarum* Rheg. De imperiis dominae c . . . *Perreius*.

v. 2. *adictum* Gron. — v. 5. *mortem* Gron. Neap. Rheg. f. noctem *Puccius*. noctem v. c. *Perreius;* quod Nestoris auctoritas tuetur; dolendum, quod non satis liquere potest, utrum illud f. Puccii coniecturam contineat, an codicis lectionem fortasse meliorem iudicatam, an utrumque. — v. 7. *ergo* Gron.

v. 9. *flagrantis* Gron. Naep. (ita Rheg.) *flagranteis* Puc. — v. 12. *exonias* Gron. — v. 13. *condam* Gron. *quondam* Neap. Rheg.; *contra* Mentelianus, nescio, an non rectius, solus praebet. *obpugnare* Neap. — v. 14. *Iniectis* Gron. Rheg. *Meotis* Neap. — v. 17. *Omphale in* Gron. Neap. Puc. cf. C. L. Schneideri Gr. L. I, p. 105, 135 not. *) 146 et saepius. *et* Mentelianus addit. — v. 18. *tinta* Omnes. — v. 20. *dira* Neap. eadem manu.

v. 23. *dño* (domino) Neap. *missi* Gron. Neap. *misit* Puc. ita etiam Mentelianus; oratio haec magis Elegiaco conveniens est, quam illa altera continuans periodum. — v. 24. *Ne* Gron. Puc. *Nec* Neap. — v. 25. *euphratē* Neap. *eufratem* Rheg. — v. 26. *surgere* Omnes. *Subdere*, Burmanni patrui et Io. Schraderi emendatio vera videtur. — v. 27. *crimine* Gron. Neap. *crimina* Puc. — v. 29. *obprobria* Neap. Rheg. *vexerit* Gron. Neap. Rheg. *vexerat* Mentelianus.

v. 31. *Coniugis* Omnes. Recte; obscenus coniux est, qui feminam inter servos tritam matrimonio petit; ab hoc coniuge etiam turpis coniugii pretium flagitabat. Genitivus plane Romanus est: Pretium coniugis, quod coniux dat. Vulgo *coniugii*. *obscenis* Neap., sed *s* eraso. — v. 32. *iura* Gron. *rura* F. M. *iura* placent. — v. 33. *alexandriam* Gron. *alexandria* Neap. (ita Rheg.) *alexandrina* Puc. Quum *Alexandrea* Nestoris auctoritate nitatur, nolebam parere codicibus nostris. Dubitanter tamen in hoc versu ago; nam etiam Groninganus sub accusativi forma occultare adiectivum *alexandrina* videtur; itaque interrogationis signo etiam hanc formam versibus apposui.

v. 36. Erat sane insigne Romanorum opprobrium nec explandum, quod per discordias civiles post tot triumphos barbarorum manibus Magnus caedi nefarie potuerat. Oratio prae animi tumore abruptior, in Propertio maxime, non debet vitiosa videri. Lachmannus hunc versum et quadragesimum ordinem mutare iussit. — v. 40. *sanguine* Gron. Neap.

sanguini Puc. et Leidensis secundus. Recte. *adusta* Omnes; (non *inusta.*) *Una* non numerat, sed superlativi vi auget.

v. 41. *Musa* Gron. *Anubim* Omnes. — v. 44. *comtis* Gron. — v. 45. *canopeia* Gron. Neap. Rheg.; *conopia* a quo sint, nescio; habet Beroaldus. Foedaque tarpeio conopea tendere saxo. Atqui Iuvenali conopeum e productum habet, ut testudineo tibi Lentule conopeo. etenim est ab *ει* diphthongo *κωνωπεῖον*. nisi legatur conopia: nam et ita ab eo quod est *πριάμειος* fit priameus et priamius, in priore e producta, in secundo i correpta. an potius, ut ab eo quod est Graecis *πλατεῖα* plateam utroque modo et correpta et producta dicimus, itidem in hoc fiet? sic mox saeva maléa dicetur hic, cum Vergilio breviter proferatur, maleaeque sequacibus undis *Puccius*. — v. 46. *dare* Gron. Neap. *dare et* Puc. *et* alterum omittit Gron. — v. 47. *tarquini* Omnes — v. 48. *quae* Neap. — v. 50. *longum* Gron. Neap. Rheg. vulgo *longam*; ignoro, qua auctoritate. — v. 51. *vada flumina* Neap. — v. 53. *ammorsa* Gron. — v. 55. *hoc* Gron. Neap. Rheg. *romana* Gron. *fuit* Gron. Neap. *fui* Puc. — v. 58. *Dixit. et assiduo* Omnes. Recipienda omnino Puccii lectio fuit. Loquens hoc disticho inducitur Cleopatra: Hoc tanto cive non ego tibi, Roma, timenda fui, nec Antonius vinositate delirans. Priores versus, ut Cleopatra moribunda sic possit induci, efficiunt; et in omni hoc carmine miro quodam modo bacchantis imitatur orationem vinclis solutam. — *fui* etiam Mentelianum et alios habere Burmannus ait.

v. 57. *toti* Gron. *toto* Neap. Rheg. — v. 58. omittit Neap. — v. 59. *monimenta* Gron. Neap. *monumenta* Rheg. — v. 61. *Curius* Gron. Neap. *Curtius* Puc. *monumenta* Gron. Rheg. *monimenta* Neap. altera monumenta cum Lachmanno vitiosa esse statuo. — v. 62. *At decius* (*detius* Gron.) *misso* Gron. Neap. Rheg. *At* recte habet; opponitur Decius Curtio. *Ac* Mentelianus habet. — v. 63. *Clotis* Gron. *Colclitis* Neap. *adscisos* Neap. — v. 64. *Et* Gron. Neap. *Est* Puc. — v. 65. *condiderant*, quod nego mutandum. — v. 68. *Aut ubi* Rheg. *bosphore capta* Gron. Neap. *bosphora capta* Rheg. Priorem lectionem recepi; vide C. L. Schneideri Gramm. II, 1, pag. 46. Reddidi autem hoc carmen ei loco, ubi recte in omnibus codicibus scribitur. Sensus hic est: Roma a diis condita, nunc Caesaris auspiciis tuta vix Iovem timeat. Quid nunc Scipionum, Camillorum, Pompeiorum victorias celebremus? Omnes prae hac sordent Actiaca pugna. Haec nunc bella canantur. — v. 70. *substulit* Gron.

XI. *Ad Postumum de Galla* Rheg.

v. 3. *ne* omittit Gron. — v. 5. *est* omittit Gron. — v. 7.

interea Gron. *intecta* Neap. *iniecta* Puc. — v. 12. *cataphratus* Gron. *catophratus* Neap. Haud dubie de Glauco et Diomede cogitabat; et inhaeret aurato alteri (Postumo) ignaviae nota, ut apud Horat. Sat. I, 7, 16. — v. 14. *Si credunt* Neap. — v. 18. *tuae* Omnes. suae *Perreius.* quomodo codicum scripturam defendam, non invenio; vera Perreii videtur, quam recentiores etiam libri quidam praebent; recepit Lachmannus.

v. 23. *Posthumus* Puc. *ulisses* Gron. *ulixes* Neap. *ulysses* Rheg. — v. 25. *hismara* Gron.; probo, qui *Ciconum manus, Ismara, capta* legunt; sed an omnia vera sint, ignoro; quum enim reconditos magis fontes quaesivisse Propertium sciamus, simulque quanta harum fabularum materies nobis ignota sit; admodum caute in his corrigendis esse agendum arbitror. — v. 27. *circes* Gron. Puc. *circe* Neap. Etiam hic deserere codices religioni fuit. — v. 28. *scipsa caribdis* Gron.

v. 29. *Lampatiae scyticis verubus* Gron. *Lampathiae sithicis veribus* Neap. *Lampethies ithacis verubus* Puc. — v. 30. *lampatiae* Gron. *lanpathiae* Neap. *lampetiae* Puc. — v. 31. *aeae* Neap. — v. 33. *Nigrantisque* Gron. Neap. *Nigrantesque* Rheg. — v. 35. *artus* Gron. *lecto* Neap. *revocasse* Gron.; fortasse voluit: *et veteres artes leto revocasse procorum.* — v. 38. *Vincit* Omnes; vulgo *vincet. penelopes* Gron. Rheg. *penelope* Neap. *laelia* Omnes; qui primus *Aelia* posuerit, mihi non constat.

XII. *De avaritia et luxuria matronarum* Rheg.

v. 2. *venerem* Gron. Neap. Rheg. Et venere exhaustae *Puccius. exhausto* Neap. *venere* ex Menteliano affert Burmannus. — v. 3. *est* Gron. Rheg. *et* Neap. — v. 4. *lubrica* Gron. — v. 7. *tires* Neap. — v. 8. *Cynamon* Neap. — v. 10. *Quaeque* Gron. Neap. *Haecque* Puc. *faustus* Gron. *icariotae* Gron. *icariote* Neap. — v. 12. *obprobrii* Gron. Neap. Rheg. — v. 14. *Aut* Omnes. Interpretor: Aut si qua reverentia dandi est, ea ipsa mora pretio tollitur. i. e. maiore pretio punitur; hic quidem *bis dat, qui sero dat.* — v. 18. *positis* Gron.

v. 20. *pudorem non* Gron. *voluisse* F. M. — v. 22. *Inponunt* Neap. — v. 23. *Hoc* Neap. — v. 24. *euandne* Gron. *euhadne* Neap. *penolope* Gron. Rheg. — v. 26. *quarum* Gron. (ita Rheg.) — v. 27. *munus erat* Gron. *munus erant* Neap. Puc. (*pompa fuit* Rheg.) *Illis poma fuit* Huschk. ad Tibullum pag. 425. *discussa* Neap. — v. 29. *musta* Gron. — v. 30. *virgineos* Omnes. — v. 32. *varicoloris* Gron. *viricoloris* Neap. *pluricoloris* Rheg. pro versicoloris *Puccius.* pluricoloris pis. al. *Perreius.* Hanc vocem recepi; non enim glossematis indolem prae se fert; nec videtur aliter Puccii codex scripsisse; putabam aliquando in *varicoloris* errore *raricoloris* inesse, ut Ovid.

Amor. II, 6, 17 rari coloris psittacum habet; idem iam Heinsio in mentem venisse video; vulgo *versicoloris*.

v. 33. *perara* Neap. — v. 35. *Atque humilis* Gron. *Atque hinuli* Neap. *Atque hynuli* Rheg. Scaligeri emendationem recipere non dubitavi, quum *humilis* Groningani interpolationem arbitrarer esse. — v. 37. *incombens* Neap. *lentas* Gron. Neap. *laetas* Rheg. f. leptas *Puccius*. lentas. laetas puc. c. *Perreius*. laetae umbrae, i. e. quae nos laetificant, nihil mihi reprehensionis habere videntur. —*umbra* Neap. a manu prima. — v. 39. *atque dei* Gron. Neap. Rheg. Etiam hunc versum varie tentarunt frustra. Sic enim fieri solet, ut, si semel difficultates motae sint, pauci incorrupto oculo animoque videant. Pastor enim deus qui illo tempore interesse hominibus non recusabat, sine dubio Apollo vel νόμιος vel Admeti bubulcus est; a dea ad deum, post ad deos, deasque optime procedit oratio.

v. 42. *vestris* Omnes; (non *versis*) quod bene tuetur Lachmannus. — v. 46. *petes* Omnes; (non *petas*). — v. 50. pudor aurum secutus mox sine lege est. Conieceram tamen: *merx sine lege pudor;* pudicitiam mercamur impudenter. — v. 54. *ora* Gron. *arma* Neap. Rheg. *arma*, hostes, propulisse deum, omitti propter *ora* non debebat. — v. 55. *E te* Gron. *Et* Neap. *Te* Puc. — v. 58. Fortasse *Delapsis. nunquam* Gron. — v. 59. *verus* Gron. Neap. *vanus* Puc. et Mentelianus. Praeclare de hac lectione disputat Lachmannus. — v. 60. *sitis* Neap. — v. 63. *parim* Gron. Neap. Rheg. *factum* Gron. — v. 66. Sententia ambigua; aut enim est: Cassandra nemini credita veros deos habuit; aut: Dii et dono et fide adempta veri fuerunt. Hanc ego praefero.

XIII. Non distinguitur in Neapolitano, nisi a correctore. *De moribus Lacenarum virginum* Puc.

v. 1. *spartae* Gron. — v. 3. *laudes* Omnes acriter tenent; ac recepi quidem Ioannis Aurati lectionem, *ludos*; ut tamen non prorsus de veritate constet. Fortasse enim, ut interdum argutari non dedignatur, ita Propertius orationem instituit, ut diceret, laudandos esse Lacedaemones, qui luctari nudas suas puellas voluissent, quum laudes easdem Romani infames haberent; *luctari* ergo proprie simul et improprie intelligens illic laudi hic opprobrio esse queritur.

v. 5. *veloces* Gron. *velocis* Neap. Rheg. *bacchia* Gron. quando *veloces iactus* quartum casum dicemus, vera erit Lachmanni interpretatio: pila velociter nimis iactantes decipit, in aliam quam debuit viam delata. Neque autem verisimile est, in palaestrae hac laude vitia sibi, quae describeret, sumsisse Propertium. Quare ego *velocis* genitivum, ac *pilam iactus*

velocis eam esse, quae velociter huc illuc volare docta nos fallat interpretor; seu peritae artis puellae tanta celeritate pilam movent, ut oculorum aciem fallat; accusativum pronominis ad vocem *fallendi* saepe omitti, ad Aetnam Lucilii exemplis docui, versu 277.

v. 9. *bracchia* Gron. — v. 11. *revicit* Neap. — v. 14. *Termodontiacis* Gron. *Thermodoontiacis* Neap. *Thermodoonteis* Rheg. Fortasse *Thermodonteis* verius erat. *turba* Omnes; (non *turma*). — v. 15. *ruina* Gron. Versuum ordinem et sensum bene exposuit Lachmannus. — v. 17. *habenis* Gron. Neap. *ad undas* Puc. ad undas v. c. *Perreius*. Non est dubium, quin haec lectio *arenis*, quod Ant. Volscus invenerat, fuerit anteponenda. — v. 25. *tu*, *te* Puc. (*tute* Rheg.) — v. 27. *Nec* Gron. Neap. *Non* Rheg. — v. 28. *adoratae* Neap. *domi* Omnes; Canteri *comae* sunt. — v. 29. *ingenii* Neap. — v. 30. *est angusta* Gron. — v. 32. *orator* Gron. — v. 33. *feres* Neap. *leonum* Neap.

XIV. *Ad Cynthiam de Lycinna* Rheg.

v. 1. *Hic* Neap. a rubricatore: librarius praenotaverat *s. iam nolim multos* Gron. — v. 3. *pretesta* Gron. *praetexti* Neap. *praetextae* Puc. *amictu* Gron. Puc. *amicus* Neap. — v. 4. *Et* Gron. Neap. *Ut* Puc. Bene; vult enim primi amoris tempora quam longissime potest amovere; quod temporalis particulae repetitio magnopere adiuvat. — v. 5. *coscia* Neap. — v. 6. *Inbuit* Neap. *licinna* Puc. (*lycinna* Rheg.). *licinna heu nullis capta datis* Gron. — v. 7. *haud* Gron. *aut* Neap. Rheg. — v. 9. *amator nec* Gron. — v. 11. carminis initium apud Neapolitanum. *erit* Omnes. Testis esse poterit, seu admonere te poterit Dirce, ne nimis saevias. *dircae* Gron. *serva* Gron. — v. 14. *immites* Gron. *inmittens* Neap. *immittens* Rheg. Atque hoc participium non minus Propertianum est, quam belle immites mollibus opponuntur; adeo ut etiam praeferendum videretur. *finxit* Gron.

v. 17. *inmundis* Neap. (Puto: *Saepe illa* conf. Virg. Aen. 8, 577. Lachmannus) — v. 21. *est* Gron. Neap. *es* Rheg. *turpe tibi* Gron. *servare* Gron. *servire* Neap. Rheg. verior hic, si quid video, Groninganus est. *Si* est *etsi:* Etiam si deus es, non tamen tibi turpe tuam puellam servare; et a quo alio petat auxilium misera? Melius ita profecto cohaerent, quam altera scriptura: Si deus es, [at quis de eo dubitat?] turpe est eam servire. Unde auxilium petat?

v. 22. *quae* Gron. *victa* Gron. Neap. *vincta* Puc. — v. 26. *parso* Gron. — v. 29. Zetem v. c. *Perreius*. — v. 30. *tabulis* Gron. Neap. *stabulis* Puc. — v. 31. *motus*] *fluctus* Gron. — v. 32. *in adversos - nothos* Gron. Rheg. *sub adverso - notho*

Neap. — v. 31. *si* Gron. *sic* Neap. *quum* Puc. Dedi hos versus (v. 31 — 34) ut codices legunt, et ut, si nihil corrigere velis, aliquo tamen modo legi possunt. Sed vitiosos esse, facile intelligimus. Nam quae haec est comparatio: Sicuti post ventos litus pacatur, ita genua Antiope flectit. Num forte puella saeviisse contra filios putanda erit, deinde versa ad preces? Quod si verisimile nemini potuerit videri, longius continuanda oratio est, ut inveniatur, quod quaerimus:

Ac veluti magnos cum ponunt aequora motus,
Eurus ut adverso *desinit ire* Noto,
Litore sic tacito sonitus rarescit arenae;
Sic, cadit ut *flexo lapsa puella genu,*
Sera, tamen pietas; natis est cognitus error;

Hoc dicit. Mater a filiis iracunde abigitur; at veluti quum fluctus, ventis contrariis flare desinentibus, sese componunt, litusque sensim conticescit; ita, quum suppliciter puella sese prosterneret, altercantium inter se (cf. v. 29.) filiorum ira sensim desaeviit, et sera quidem, rediit tamen, errorem bubulco interpretante, pietas. In quo, quod versum 32. correxi, id in causa erat, quod interpositio, quam sine correctione ponere debebam, in eiusmodi descriptione usitata minus est. verisimile autem, vitium inesse, ex lectione Neapolitani; ac praeiverat Lachmannus, modo quod *ubi* scribebat; ego *ut* malebam, tam quia *in* et *ut* innumeris locis confunduntur, et aberratio *sub* (*ub*, nam *s Eurus* sibi vindicat) eodem poterat duci, quam quia versu 34. omnino *ut flexo* ex *inflexo* faciendum erat, et paritas inde nata *ut - ut* decere poëtam videbatur.

v. 34. *lassa* F. M. — v. 35. *cognitus ordo* Gron. — v. 38. *Vinxerunt* Gron. Puc. *Vixerunt* Neap. *dircem* Gron. *dircen* Neap. Rheg. — v. 41. *Parta* Gron. *Zethi* Gron. Neap. *Zeto* Puc. Ergo Zetho uni partes diras tribuit; a Zetho alligatur. ingeniose Lachmannus: *letho*. — v. 42. *Paena* Gron. — v. 43. *lacinnam* Gron. — v. 44. *ire* Neap.

XV. *De imperio amicae* Rheg.

v. 2. *missa* Gron. Neap. Rheg. *nulla* ex Menteliano est. In hac Elegia non Roma Tibur, sed Tibure Romam arcessitur Propertius. Nam quando *adesse* est advenire, quartum casum eius loci assumit, quo est eundum; qui plerumque *huc* est. *Illuc* scripsit Valerius Flaccus IV, 747. Clarius Virgilius Georg. II, 7: *Huc pater o Lenaee veni!* Addo, nunquam in his precibus addi pronomen dativo: *ades mihi* etc. Motum, qui inest huic verbo, multi loci Poetarum patefaciunt. Ovid. Heroid. XV, 95. in Ibi idem vs. 84. Sextus casus eum locum, unde venitur, pronunciat: *Ex Acherunte adsum* Ennius apud

Ciceronem Tusc. I, 16, 37. Omnium apertissime Ovidius Metam. II, 512:

> *Quaeritis*, aetheriis *qua re regina Deorum*
> Sedibus huc adsim.

Versus autem 3 et 4 monumentum aliquod Romanum describunt, quod a quodam lacu Aquae Anienis haud procul aberat; illic inventurum Cynthiam esse. In Regione id duodecima fuisse, probabile est; confer, quae ad III, 28, 14 exposui.

v. 3. *quae* Gron. — v. 4. *lympha* Gron. *nympha* Neap. Rheg. *amaena* Gron. — v. 7. *haec distulero* Gron. Rheg. *distulero haec* Neap. — v. 9. *portus* Neap. — v. 12. *silicet* Gron. *scilicet* Neap. *sic licet* Puc. (*si licet* Rheg.) Nemo Propertio magis *sic* amat; hic est *sic*, si quis amat. — v. 13. initium novae elegiae in Gron. — v. 14. *adeo* Gron. *deo* Neap. Puc. (*ita* Rheg.) — v. 16. *percutit* Omnes. corrigunt *praecutit;* non recte; nam praecutit facem is, qui praecedens percutit; hic autem Amor *percutit a n t e.* — v. 17. *hiantis* Neap. reliqui *hiantes.* — v. 20. *exclusis* Omnes. Sed exclusorum quidem nulla hic potest mentio esse. Lachmannus: *et cursus* dedit. *Et* in enumeratione saepe est idem quod *tum*, sed tamen nescio quid huic correctioni insit, quod, quominus vera videatur, me impedit. — v. 23. *huc* Omnes. *haec* Guyetus suadet ac persuadet. — v. 25. $\overset{c}{n}$ Gron. *nec* Neap. *ne* Puc. — v. 29. *humet* Gron. Rheg. *humeri* Neap. *tumulus* Gron. *cumulis* Neap. *cumulus* Rheg. Utraque lectio proba est; recepi Neapolitani, cui Palatini accedunt. *tumulus arenae vallatus* erit arena vallatus, i. e. arena subintelligetur. Videtur iam per aliquot elegias imminuta Puccii diligentia esse; rarius enim, quam putaremus, Rheg. corrigit.

XVI. *Ad Bacchum* Rheg.

v. 2. *baccato* Gron. *pacato* Neap. Rheg. Hoc recepi, quia pacis per Bacchum impetrandae precatio per versus sequentes aperte exponitur: *Tu vitium ex animo dilue, Bacche, meo;* idemque in fine: *Tu modo servitio* vacuum *me siste superbo.* Firmat tamen Groninganum, si Burmanno fides est, Mentelianus. — v. 8. *ad* (non *in*) Omnes. *adriagna* Neap. — v. 10. *aut* (non *vel*) Omnes. — v. 11. *Saepe enim* Gron. — v. 11. *animum* Gron. *animo* Neap. Rheg. *vexat* Gron. *utrinque meum* Gron. *utroque modo* Neap. Rheg. Spesque timorque animum versat utrinque meum *Perreius.* Electio difficilis. Graecorum divisio per ἀμφότερον inducta tribus tantum locis, quantum scio, apud poëtas Latinos de verbo expressa invenitur (de oratorum more *utrumque* in genere neutro adiungentium cf.

ad quos provocat Beier ad Cic. Offic. II, 15, 52.) Manil. Astron. I, 312.

Has inter fusus circumque amplexus, utrumque,
Dividit et iungit squamis ardentibus anguis.

ubi post Scaligerum Bentleius, nolente me, *utramque* legit. Grat. Cyneg. v. 333; Sic nutritus canis:

Utrumque, *et prudens et sumptis impiger armis*

uti similiter de canibus Oppian. Cyneg. I, 90. *Ἀμφότερον, κραιπνόν τε θέειν, στεναρόν τε μάχεσθαι.* Nicol. Heinsius apud Grat. *Rerumque et* suspicatur. Qui idem etiam tertium locum eripere nobis tentat in aliis vitiosum apud Caton. Dir. 93:

Sive eris et si non mecum morieris, utrumque

Plerique autem poëtae ita, ut hic variare libros vidisti, hanc sententiam enunciant; quam hic rationem Propertius secutus sit, ego non diiudico; ergo auctoritati Neapolitani et fortasse Puccii cod. cedendum putavi, quamquam, si quod magis placeret, sequerer, Perreii probarem lectionem maxime. *utroque modo* visum est scribendum esse Huschkio ad Tibull. pag. 227.

v. 14. *Accersitus* Gron. Neap. Rheg. scribunt, non *Arcessitus.* — v. 17. *spument mihi* Gron. *numen mihi* Neap. *numerem mihi* Rheg. f. spument mea *Puccius;* idem Perreius affert. — v. 18. *presentis* Gron. *praesantis* Neap. *pressantis.* Enunciationes, ut vides, iungendas putabam; plerumque plene post hunc versum interpungunt, sententiam prioribus adiungentes. — v. 21. *partos.* Gron. — v. 23. *nequiquam* Neap. — v. 24. *Pantheos* Gron. — v. 26. *dissiluisse* Rheg. — v. 28. *potat noxia* Gron. *potant* Neap. Rheg. — v. 30. *Cingit* Neap. — v. 31. *Lenis* Gron. cf. Callimach. Epigr. L, 4 vel totum. — v. 33. *tympana* defendit Iacobsius (Blumenlese). — v. 35. *cybelle* Gron. Rheg. *cybele* Neap. — v. 36. *Fundet* Gron. Neap. Rheg. Admodum probabilis Scaligeri correctio: *Tundet*; sed recipere in carmen ipsum non ausus sum. — v. 37. *cratere* Gron. Casp. Orellius: *craterae — fundent*, quod magnopere probo; recepit Iacobsius. — v. 40. *sonat* Gron. v. 42. cf. Meleagri Epigr. VI.

XVII. *Quod mors sit inevitabilis* Rheg. Defletur mors Marcelli v. c. *Perreius.*

v. 1. *qua lidit* Puc. lidit pro allidit *Puccius.* Et puto *allidit* esse scribendum. Vix enim in hac tristitia *ludentem pontum* induxerit Propertius. — v. 2. *Humida* Omnes; Scaliger *Fumida.* — v. 3. *missenus* Neap. — v. 5. *mortales* Gron. (?) *mortalis* Neap. Rheg. Defletur mors Marcelli *Puccius.* *dexter conquaereret* Neap. — v. 9. *Bis* Gron. Fortasse recte habet; sed nequit testimonio probari, in quo uno haec res

S 2

posita est. *His* Neap. Puc. *demisit* Gron. Neap. Puc. (*dimisit* Rheg.) *demersit*, quod plerique habent, inest in Palatino priore et Vossiano quinto. — v. 21. *hoc* — *huc* Gron. Neap. (ita Rheg.) *huc* — *huc* Puc. recte; versus minor huc pertinet, sed deflexit orationem. — v. 24. *troci* Neap. — v. 27. *faces* Gron. *achillem* Gron. Neap. Rheg. — v. 30. *alter* Omnes; explico de Chryseide post Clytaemnestram altera; (*altus* Lachmannus vult;) hanc et pestilentiam eius retentione exortam dici, demonstrat, quod *ignavos* Achivos vocat, Calchantem consulentes. Fortasse: *stat adulter amor*. — v. 31. Fortasse: *pias hominum* quo *traiicis umbras Huc* etc.; unum enim tantum novi, qui umbras traiicit. — v. 32. *Huc* — *tuae* Omnes. *corpus inane* i. e. umbra. Lachmann scribit: *Hoc* — *suae*; ingeniose, ut solet. tuae animae, tua flamina *Puccius*. Philosophorum commenta, qui in sidera remigrare piorum animas aiunt, et Fabularum campos Elysios illius aevi more commiscuit.

XVIII. *De incontinentia mulierum* Rheg.

v. 2. *illa* Gron. (?) *ista* Neap. Rheg. — v. 5. *sedetur* Omnes. *sedaret* Palatinus apud Gebhardum. — v. 7. *poñ* F. M. nescio utrum pon an portum. Schraderus po addita nota, quae si recte ab eo picta est, non n significat sed r. p̃. Lachmann. — v. 8. *saevaque mala* Rheg. saeva maléa. Virg. corripit, Maleaeque sequacibus undis *Puccius*. Neque tamen Rheg. correxit, quum haud dubie liber haberet *malea*. Sic, quod summopere dolendum, in eximio hoc codice haeremus, dum neque id scimus, utrum *f*. unas coniecturas Puccii contineat, an etiam lectiones codicis, an utrumque; neque omnes lectiones enotatas esse possumus putare.

v. 12. *abiegno* Gron. Neap. *abiegnae* Rheg. *bovi* Gron. Neap. *bovis* Puc. — v. 13. *enipheo* Gron. *enypheo* Rheg. — v. 15. *Crimine et* Gron. — v. 16. *novem* Neap. — v. 17. *matrem* Gron. Medeae amor matris iram etc. expiavit; amor Clytaemnestrae Pelopeam domum dehonestavit. Sic haec oratio pergit. — v. 19. *Clytemestrae* Neap. *clytemnestrae* Rheg. — v. 20. *sta* Neap. — v. 21. *minooa* Gron. — v. 27. *inmerito* Neap.

XIX. *De contemptore amicae* Rheg.

v. 4. *Tantisne* Gron. Neap. *Tanti ne* Puc. Tanti v. c. *Perreius*. *in* omittit Gron. Puccius recte scribit. Et etiam senserat Schottus ex quadam parte, quomodo explicandus versus esset. Quocirca non debebat tam graviter in hominem eruditum Gronovius invehi. *in lacrimis* est, quum tamen amica lacrimaretur. *in* est temporale, inter lacrimas; quibus particulis quam facile causalis notio inhaereat, omnes con-

iunctiones tempori datae ostendunt. Plurimas similiter ordientes sententias Propertius habet; proxime accedit IV, 11, 3 sq. *Tantine fuit — Galla — rogante tua?* — v. 5. Sensus est: et deos et inania promissa stulte fingis, i. e. fallis te illis; nam quae nobis non vera fingimus, iis fallimur; illa istius deos, per quos iuraverat, promissaque, quae dederat, vera fingens, quum essent inania, se ipsa fefellit. Verum est, quod animadvertit Lachmannus, in aliorum plerumque insidias fingi a nobis verba; sed nihil obstat, quo minus etiam nobis fingere aliorum verba possimus.

v. 6. *terit* Gron. *terat* Neap. Rheg. quod recepi; quamquam *forsitan* tam apud oratores quam apud poëtas indicativum etiam assumit. — v. 7. *Ast* Neap. *patens* Gron. — v. 10. *toros* Omnes. Vellem, recentiorum quorundam *sinus* auctoritatem boni libri adipisceretur.

XX. Adhaeret in codicibus superiori. Disiunxit Scaliger.

Omnes codices *Tu quoque* alterum distichon primum faciunt; Scaliger verum ordinem restituit, qui tam certus videbatur, ut reciperem in ipsa carmina. — v. 1. *datae* Gron.? (ita Rheg.) *date* Neap. *data* Puc. *tempore* Gron.? Propter exultationem sententia repetitur, verbis tantum variatis. — v. 5. *rura* Neap. — v. 7. *confringit* Gron. *constringit* Neap. Rheg. constringet, subsignabit, testis erit. etenim scribendis pactionibus signatores adhibent et testes *Puccius*. Videmus ex hac animadversione, codicem habuisse futurum *constringet*, quod dudum editiones obtinet. *pignera* cum Neap. et Rheg. scripsi; de Groningano non constat. — v. 8. *torta* Omnes; *tota* ex Passeratii codice omnes receperunt. Neque ego, cur *tortam* Noctis coronam nunc maxime dicere sidera voluerit, intelligo. quare in carmina recipere ausus sum *tota*, cum saepe omnes dii etc. advocentur. — v. 9. *cedent* Omnes. *cedant* in Menteliano esse aiunt. Ceterum eo ordine hos versus (5 — 10) scribendos curavi, uti omnes codices exhibent; sensu et commodo et aperto: Longam exoptat noctem etiam eam ob causam, quia foedera ante gaudia ponenda sunt; haec certissima fere sperat; sed quod magna eis temporis iactura facienda sit, queritur. Sunt tamen necessario icienda; *namque, ubi non* etc.

v. 11. *vincetur* Neap. — v. 12. *vigilanda* Gron. *vigila deos* Neap. *violanda* Puc. Quod recipere sine mora statuebam; *nox* enim per se amantium est, seu *nox vigilanda*, ultionis causa autem, quae in violata nocte inest, cogitatione aegre supplere cogimur, nisi, quod nunc egregio hoc codice auctore facimus, voce inani abiecta, desideratam recipimus. — v. 13. *nox* Gron. Neap. Rheg.; scribunt ex codice

lectio, Arboreasque cruces scinis, et non hospita graiis, s. schironia. supple verbum praetereo aut quid tale *Puccius*. *Sinis* qui primus dederit, ignoro.

v. 38. Lego curtatas, et intelligo de Procuste *Puccius*. curtatas al. et intelligitur de Procuste *Perreius*. Neque mihi videtur ad Sinin, post interiectam Scironis ultionem, posse rediri in hac brevi maxime fabularum dinumeratione; quare malim *curtatas* trabes ad Procrusten reférri. — v. 41. *Hinc* Puc., quod si versu quadragesimo daret, libenter acciperem.

XXIII. *De tabulis perditis* Rheg.

v. 3. *condam* Gron. — v. 5. *puellas* Gron. Neap. Rheg. Quod loco movere non ausus sum. Plerumque ex Vossiano quarto et Dorvilliano secundo *puellam* legunt. — v. 11. *fuerint* Neap. — v. 14. *bona* Gron. Rheg. *bene* Neap. et Leiden-
e
sis secundus. *bona* Vossianus tertius. Non sane displicet adiectivum; sed haerens, utrum verius scribatur, in auctoritate fere aequata malui nihil mutare. — v. 15. *dixit* Gron. Puc. *dixi* Neap. (*dixti* Rheg.) *venies* Omnes, (non *venias*). — v. 17. *dolens* Omnes. f. *volens Puccius*. volens *Perreius*. Locutus sum de hac voce ad elegiam 10 Lib. I. v. 13.

v. 18. *dicitur* Gron. *ducitur* Neap. Rheg. *dolis*] pro iocis *Puccius*. iocis *Perreius*. — v. 20. *diras* Neap. — v. 21. *retulerit* Gron. *rettulerit* Neap. Rheg. — v. 22. *signa* Gron. Neap. *ligna* Puc. — v. 24. *exquiliis* Gron. Rheg. *ésquiliis* Neap.

XXIV. *Ad Cynthiam superbientem* Rheg.

v. 4. Neapolitanus interrogationis signum in versus fine posuit. — v. 5. Heracleotem Zeuxin imitatus confer. Cicero de Invent. II, 1. — v. 10. *fluere* Neap. — v. 12. *verba fatebor* Gron. Neap. Rheg. *vera fatebar* correxit Livineius. — v. 13. *aeno* Gron. *aheno* Neap. Puc. — v. 14. *Vinctus* Gron. Puc. *Victus* Neap. — v. 18. *Vulneraque* Gron. Neap. *Vulnera et* Rheg. *saniem* Gron. — v. 19. *si qua est* Gron. (?) *si qua deo est* Neap. Rheg. si qua dea es v. c. *Puccius*. *dono* (non *condo*) Omnes. — v. 20. *Exciderant* Gron. Neap. Puc. (*Exciderent* Rheg.) nec est, quod cum Livineio *Exciderint* scribamus.

v. 21. interstitium et littera initialis in Gron. Neap. una est elegia *Puccius*. Una eademque elegia v. c. *Perreius*. *Visus* Gron. — v. 23. *feliciter* Gron. — v. 24. *querere saepe* Gron. — v. 27. *vincit* Gron. Neap. *vincet* Puc. — v. 28. *ire* Gron. Neap. *esse* Rheg. pro ire *Puccius*. ire v. c. *Perreius*. — v. 29. *Lumina* Gron. — v. 32. *veniet* Gron. — v. 33. *cum cupies* Gron. *tum capias* Neap. *tum cupies* Puc. *albosa* Gron. Neap. — v. 34. *A speculo* Omnes; i. e. *Ah*.

— v. 35. *patiare* Gron. Neap. *patiere* Puc. — v. 36. *quereris* Gron. *quereris* Puc. de Neap. dubito Lachmann. Qui idem, ut in diris, coniunctivum futuro praetulit. Fortasse versus 33 futuro aptior, sequentes coniunctivo. — v. 37. *fatalis* Gron. Neap. Rheg. Ceterum, si a versu 21 cum plerisque codicibus novam ordiendam esse elegiam contendas, id inter utramque esse dicas discriminis, quod illa superbientem Cynthiam propellit, haec in gratias redire cupientem fletuque, qui fere alienus a parte prima carminis est, movere poëtam studentem aspernatur. Ex quo sequitur, ut mihi iam dividenda Elegia videatur.

LIBER QUINTUS. [QUARTUS.]

Liber quartus Rheg. Quartus hic liber fastos ex maxima parte describit. propositum enim fuit poetae singulis libris singulos sacrorum ritus exponere. *Puccius.* eadem Perreius adscripsit addito Pis. quo Pisanum significat. Minus elaborata carmina huius libri esse, ab amicis Propertii congesta suadet Lachmannus.

v. 1. *quam* Gron. Neap. Rheg. quae v. c. *Perreius. qua* ex codice Vossiano est. — v. 2. *phryge* Neap. *acnean* Gron. teste Broukhusio, non Schradero. *eneā* Neap. *aeneā* Rheg. — v. 3. *phoebo*] propter victoriam Actiacam, quam debuit Augustus Palatino Apollini suo *Puccius* et *Perreius*, hic addito: Pis. — v. 4. *concubuere* Omnes. (non *procubuere*) — v. 6. *obprobrio* Neap. Rheg. — v. 7. *Tarpetiusque* Neap. Imperii tenuitas et aedificiorum simplicitate et finium angustiis, qui ne Tiberis quidem fontes tangebant, describitur.

v. 9. *Quo* Gron. Rheg. *Quod* Neap. Tuetur Broukhusius *Quo* exclamationis signo post *sustulit* collocato; alii *qua* ex Vaticano quinto et Palatino Gebhardi recipere maluerunt, ego nihil obstare dico, quominus codices sequamur hoc sensu: quo nunc gradibus itur ad domum istam Romuli, illic quondam regni continebantur fines. Quod autem eo itur, eius causa est, quod illuc se domus sustulit. *Gradus* autem malo capitolinos intelligere, quam quos Plutarchus Rom. XX, afferente Lachmanno, profert. — v. 13. *Bucina* Neap. — v. 16. *sollemnis* Gron. *sollempnis* Neap. *solemnis* Rheg. — v. 18. *fremeret* Gron. — v. 19. *palillia* Gron. *parilia* Neap. Puc. sup. cura erat *Puccius.* supple curae erat *Perreius.* — v. 20. *curto* Gron. Neap. *curvo* Rheg. curvo Pis. *Perreius.* Lustra vocat parilia, quia in his lustrabatur urbs. Ovid. de parilibus, I, pete virginea populus suffimen ab ara. Vesta dabit, Vestae munere purus erit. Pastor oves saturas ad prima crepuscula lustret. Tunc, inquit, foeno accenso tantum lustrabant,

nunc equi sanguine. curvo equo (curvo autem equo dixit, Perreius) cernuo incurvatoque [hucusque Perreius, addito: Pis.] ad aram imonolandus [sic] *Puccius*. nonne durior oratio videatur, si curvum equum dicamus, qui *ἐϋγνάμπτοισι μελέσσι* incedat, *sinuetque alterna volumina crurum?* Si de equini sanguinis suffimine interpretaris, potest *foeno accenso* tantum propter id opponi, quia, ut ait Plutarchus in Rom. XII, *ἐν ἀρχῇ, ὥς φασιν, οὐδὲν ἔμψυχον ἔθυον, ἀλλὰ καθαρὰν καὶ ἀναίμακτον ᾤοντο δεῖν τῇ πατρίδι τὴν ἐπώνυμον τῆς γενέσεως ἑορτὴν φυλάττειν.* Verum quum hic non antiqua morum simplicitas cum praesenti splendore (curti equi immolatione!) sed finium angusta comprehensio cum ingenti imperio sui aevi comparari possit, vide, an non haec verior interpretatio sit, ut tantum agrorum illo tempore dicat lustratum esse ambarvalibus hostiis, quantum curto nunc quis caballo circumvectetur. Terminalia quidem sexto ab urbe lapide fiebant. Ovid. Fast. II, 679 sqq. *Qualia* et *quanta* confundi scimus. Priori autem interpretationi obest, quod foenum accensum equo immolato opponi nequit. Nam Propertiano etiam aevo per ardentes stipulae crepitantis acervos transiliebant. — v. 21. *Vestra* Neap. — v. 22. *iulia* Neap. — v. 26. *lycens* Gron. *licens* Neap. *lyceus* Rheg. licens v. c. *Puccius* et *Perreius*. Unde licens Fabius. petulans. ita habet vetus is (is omittit Perreius) codex. Fabios dictos esse lupercos remi, Quintilios romuli docet Ovid. in II fastorum *Puccius* et *Perreius*, hic addito: Pis. — v. 27. Coniunctio: uti rudes in pace et cultu deorum, ita rudes etiam bello erant. — v. 29. *licmon* Gron. *lygmon* Neap. *lycmon* Puc. In tanto codicum consensu Scaligeri orthographiam, *Lucmo*, non putabam recipiendam esse, sed *n* appositum a libris relinquere malui. *Galerus* ex pelle caprina fiebat, (caesa hostia ait Servius ad Virg. Aen. II, 683) ovibus contra dives Sabinus; ergo in pecore omnes opes positae erant, (herciscunda). *Hinc* (v. 31.) i. e. ab his initiis profecti vel potius de tam tenui re victores facti triumphos egerunt Romani. Si ferina pelle factam galeam vis *galerum* interpretari, non sacerdotalem pileum, eodem fere res redibit. Memineris reges et sacerdotes fuisse et imperatores simul.

v. 30. *tacito* Neap. — v. 31. *ticines* Gron. *titiens* Neap. Rheg. *soloni* Neap. — v. 33. *parve minus* Gron. *parva minus* Neap. Rheg. *violae* Gron. Neap. *bovillae* Puc. Egregie Lachmannus *eminus* corrigit. — v. 34. *gabi* Gron. Neap. Puc. (*gadii* Rheg.) — v. 36. *longe — vias* Gron. Neap. bene, ut explicat Lachmannus, *ubi vias Fidenas ire longe ire erat*, sed et auctoritate et simplicitate praestat: *longa — via* Puc., quam le-

ctionem tamen Perreius non profert. *isse* Neap. al. isse *Perreius.* — v. 38. *pudet* Gron. *putet* Neap. (ita Rheg.) *putat* Puc. nihil notat Perreius. Quid de Puccii lectione faciam, nescio. Groningana vera videtur, hoc sensu: Non pudet duro lupae lacte nutritos esse bellicosos Romanos; belloque potentiam adeptos. *Huc*, pergit, in tam bello valentem terram Troia, ipsa potentiorum hostium praeda facta, melius confugit; cf. vs. 55.

v. 40. *Heu* Gron. Neap. *O* Puc. En v. c. *Perreius. vecta* Gron. Neap. Puc. (*ducta* Rheg.) — v. 41. *omnia* Gron. *omina* Neap. Puc. *illam* Omnes. illam, Aeneas (aeneam Perreius) et comites qui illa vecti sunt *Puccius* et *Perreius*, hic addito: pis. Io. Schraderi Emendationes, quem *illam* ad priora non pertinere docuisse video, inspicere nunc non licet; sed causas, cur *illam* ad *Troiam* referre non liceat, invenire per me nullas valeo. ut autem Troiam in Italiam transtulisse Aenean saepe legimus, quia Penates transtulit, et ut in deorum tutelarium nomine omnem scimus civitatem contineri, ita igne Argivo Troiam nihil laesam, servatis Penatibus, nostro iure possumus dicere; unde fit, ut, qui *illos* corrigant, eundem nobis efficiant sensum alio verbo, quem Propertius ipse dederat. Coniunctio orationis haec est: Iam tunc spondebant, cum pater pependit.

v. 43. *Tum* Gron. *in nati* Gron. Neap. *in gnati* Puc. — v. 45. *deci* Gron. Puc. *decii* Neap. — v. 46. *ipse* Gron. — v. 49. tremulae an ob senium, an ob tremorem templi vaticinantis *Puccius* et *Perreius*, hic addito: pis. hoc putaverim. Val. Flac. I, 5 sq. — v. 51. *data* Gron. *serorata* Puc. (*sero rata* Rheg.) — v. 55. Hic iam, postquam Troianos profugos adlocutus est, ad lupam, victoriae bellicae indicem redit; unde verus sententiarum tenor, supra propositus, confirmatur. — v. 57. *coner* Neap. *disponere* Omnes; *describere* Mentelianus et alii. — v. 58. *Ei michi* Neap. *nostro est* Gron. Neap. Rheg. (non *est* omittunt.) — v. 59. *Si* F. M. *est* Gron. *e* Neap. Rheg. *Quodcumque* saepissime nude apud Propertium ponitur; itaque blandam Groningani lectionem sperno; quamquam nudus etiam ablativus, huic maxime loco, praeclare aptus est.

v. 60. *serviat* Gron. Rheg. *serviet* Neap. Mentelianus, alii. — v. 61. *gingat* Neap. — v. 65. *quisquis cernit* Neap. — v. 66. *extimet* Gron. — v. 69. *canam* omittit Gron. — v. 71 *inprudens* Neap. *vage* Omnes. *facta* Grpn. *fata* Neap. *sacra* Puc. Recte; v. 70. *Sacra diesque canam.* — v. 72. *adextro* Gron. Neap. *a dextra* Puc. — v. 73. *Arcessis lacrimis cantus adversus apollo* Gron. *Accersis lacrimas cantas aversus apollo*

Neap. *Aversis musis cantas aversus apollo* ita v. c. *Puccius Aversis Musis cantas, aversus Apollo est,* v. c. *Perreius.* Atque id quidem recepi; reliquorum tamen codicum lectio fortasse verior ita disposita: *Arcessis lacrimis cantus? Aversus Apollo* etc. quod ut intelligas, amoris infelicis remedia poëtam quaerere te meminisse iubeo et comparare versum 119 sqq. — v. 74. *Poscis ab* Omnes; *Poscis et* Vossianus quintus. Heinsius ad Aldinam 1515 nihil notat.

v. 75. *aut* Gron. Neap. *haud* Puc., quod praeferendum esse, versus sequentes ostendunt, quae, cur haud nèscius sit vates, porro docent. Neque poterit Horatianus Tiresias et alia contra me afferri. — v. 77. *orops* Gron. Neap. *Oron* Puc. *horos* rubricator Neap. — v. 78. *Oron* Gron. Neap. *Horon* Neap. — v. 79. *Dic* Neap. *propinquis* Rheg. i. e. me degenerasse a propinquis; quod probum. — v. 81. Lucrantur pro mendaciis suis (ex Perreius) astrologiae et planetarum, quae ipsi non ad verum sed ad libidinem consulentium proferunt *Puccius* et *Perreius*, hic addito: pis. — v. 83. Pendent hi versus a verbo: *Dicam* v. 87, et afferuntur tanquam fidei testimonium; se non, quod consulentium libido velit, mendacio inventurum, sed quod ipsae stellae promittant, sive boni sive mali, esse aperte dicturum. post stellarum autem exempla item summae cladis exemplum profert: *Troiam cadentem*, summae felicitatis: *Romam resurgentem;* neque haec se fuisse, ficto augurio, praeter verum prolaturum; postremo praesens Arriae vaticinium exponit.

v. 86. *qui* Neap. — v. 87. *clades* Gron. *troica* Gron. Neap. Rheg. quod in *troïa* mutare ausus non sum. — v. 94. *tibi* Gron. correctum alia manu. — v. 96. *signa* Gron. *rostra* Neap. Rheg. *signa* glossema videntur; oratio ad oraculorum λόγια composita est; cogita de Paphlagonii et fartoris oraculo in Aristophanis Equitibus. — v. 99. *cynyrae* Gron. *cinare* Neap. *cinarae* Puc. — v. 100. *humeri* Gron. — v. 101. *Iunonis* Gron. Neap. Rheg. (non *Iunoni*) *facite votum* Gron. Neap. *votum facite* Rheg. suspicatur Lachmannus: *facito. inpetrabile* Neap. — v. 105. *senserat* Gron.

v. 106. *Umbra neque in* Gron. *Umbrane quae* Neap. *Umbraque nec* Rheg. neque e *Perreius.* Unde videtur in Vaticanum primum et secundum transiisse. Hanc lectionem secutus sum, ut ex qua reliquae oriri et interpolatione inveniri facile potuerint. *ex aquis* ut V, 3 *e lacrimis* Graecis usitatior haec praepositionis notio; quos ipsis his particulis maxime, ut in reliquis, sectatur. Fortasse tamen verius, quod ex Neapolitano eliciunt: *Umbrave, quae.* Sed displicet, quod ita per relativam orationem *mortua* ab *umbra* discerpitur. — v. 107. *ve-*

rusque Gron. Neap. (Mentelianus, alii) *versusque* Rheg. quod non minus probum est, *versa via* est se vertens per astra.

v. 117. *Oliade victor* Gron. *Victor ó iliade* Neap. *Victor Oilide* Puc. — v. 118. *veste* Gron. Neap. *sede* Puc. — v. 119. *devear* Neap. — v. 124. *lacus*] s. Trasymenus *Puccius*. sacer-imber. si leg. lacus, de Trasimeno *Perreius*. — v. 125. *asis* Gron. Neap. Rheg. Scandentique altus. ita lego. supra, Scandentes si quis cernet de vallibus arces. *Puccius*. Scandentique altu . . . *Perreius*. Asis fortasse (Asis in puccii, forte, Perreius) nomen oppiduli sui natalis positi in vertice montis *Puccius* et *Perreius*. Orelpidius, h. e. Diomedes Montesperellius Perusinus in adnotationibus ad Propertium fertur emendasse Scandentique assus, ut assus murus diceretur quem latericium Mevaniae fuisse Plinius tradit XXXV. cap. 14, 49. arcis probat qui optime de patria Propertii scripsit, Fabius Alberti Mevanas in nova sylloge Calogerati (nuova raccolta d' opuscoli scientifici e filologici, tomo VII. in Venezia 1760) *Lachmann*. Quem locum ex vita Propertii in libro Fulvii Ursini Lipsius affert Ant. Lectt. V, 10: *Propertius Umber ex Asisio oppido, dicto ab Aso monte sibi opposito*; etc., is fortasse ex ipso nostro versu factus et adumbratus est. Sed tantis hic omnia tenebris operta sunt, ut, quum quid verum esset, non haberem, relinquere codicum lectionem mallem fortasse veram, sed nobis non apertam. Plerique Canteri inventionem amplexi sunt: *arcis* ex vs. 65.

v. 128. *isse* Gron. *ipse* Neap. Rheg. — v. 131. *demissa* Gron. Rheg. *dimissa* Neap. — v. 133. *tibi* omittit Neap. — v. 135. *Aut* Gron. *At* Neap. Puc. *fallax opus*] ob mendacia elegorum. Papin. Cessent mendaces obliqui carminis astus *Puccius* et *Perreius*. — v. 136. *et* Gron. — v. 137. *patiare* Gron. — v. 140. *Eludet* Gron. Puc. *Eludit* Neap. (*Eludat* Rheg.) — v. 141. *comfixum* Gron. *confixum* Neap. *cum fixum* Puc. *discusserit* Gron. Neap. *discusseris* Puc. — v. 142. *Nichil* Neap. *haec* Gron. *hoc* Neap. Puc. *nostro* Gron. Neap. *rostro* Puc. *premet* Gron. *premat* Neap. *premit* Rheg. *ausa* Gron. Neap. *ansa* Puc. *tuo* Neap. — v. 144. *nunc* Neap. — v. 146. *Lumina* Neap. *prima* F. M. Neap. *rima* Puc. — v. 149. *deducat* Rheg. *hiatu* Gron. *hiatum* Neap. Rheg. *cavum* ex Perreio affert Burmannus. *cavum terrae* ima telluris interpretor, et *hiatum* recipio.

II. *Fabula Vertūni* Rheg.

v. 2. *vertunni* Gron. Neap. (sic Gron. ubique, Neap. postea semper vertūnum, itaque Rheg. quoque.) — v. 3. *et* Gron. omittunt Neap. Rheg. — v. 4. *volsanos* Gron. *volsanios* Neap. (ita Rheg.) *volsinos* Puc. — v. 5. *Nec* Gron. *Haec* Neap. Rheg. *mea* Neap. — v. 9. *At* omittit Gron. prima manu. — v. 11. *vertentes*

Neap. *percepimus* Gron. Rheg. *praecepimus* Neap. — v. 12. *credidit* Gron. Neap. (i. e. aliquis) *creditur* Puc. creditur v. c. *Perreius*. — v. 15. *autunnalia* Gron.

v. 19. Bene Vertumni personam tuetur. modo enim ait, modo negat; etiam mendacii priora insimulat. — v. 23. *chois* Gron. Neap. *cois* Puc. (*caeis* Rheg.) — v. 24. *Meque* Gron. Neap. *Iamque* Puc. (*Atque* Rheg.) Iamque al. *Perreius*. — v. 26. *semina iacta* Gron. — v. 28. *in* Gron. *in* Neap. Rheg. *inposito* Neap. — v. 30. *sub esse* Gron. — v. 31. *achei* Gron. Neap. (*achivi* Rheg.) *iacchi* Puc. — v. 35. *eius* Gron. Puc. *elus* Neap. — v. 39. *Pastorem ad baculum possum curare* Omnes; quam lectionem non habeo, cur damnem. cf. Ruhnken ad Velei. Paterc. II, 95.

v. 40. *Serpiculis* Gron. Neap. *Sirpiculis* Puc. An medio pulvere, media harena theatri? ibi enim florales dividebant rosam. an serotinas et aestivas rosas significat? ita mediam dicit aestatem. *Puccius* et *Perreius*. Priorem interpretationem praefero, quum hortorum post mentio fiat. — v. 41. *adiciam* Neap. Rheg. *cura est* Gron. *fama est* Neap. Rheg. Quod omni modo tuendum est; tum, quia hortorum deus notissimus Vertumnus erat, (unde Pomonae coniux apud Ovidium vocatur Metam. XIV, 642 sqq.;) tum, quia ad ipsam hanc *famam* post aliorum officiorum dinumerationem transitio per *Nam* pertinet, qua uti in argumentatione et numerando solemus, quando ad perspicua et illustria venimus. Neque verendum est, ne bis idem dicatur; hortorum enim dona in eius manibus probata, sunt horti eius manu seu artificio et cultu bene curati, et laetos fructus ferentes. Insignia versu sequenti numerantur.

v. 46. *Inpositus* Neap. *languet* Gron. — v. 51. *lycomedius* Gron. Neap. Rheg. Lycomedius, qui a Varrone Caelius Vibenus dicitur, fortasse receptus in civitatem romanam id postea nomen romanum accepit: donati enim civitate nomen romanum sumebant. Varronis codices emaculentur, qui habent (de l. l. IV, 8. p. 14.) contra Latinum (Latium Perreius) regem: reponendum [est Perreius] contra Tatium: quid enim cum Latino temporibus Romuli? *Puccius* et *Perreius*. *Lucumonius*, quod Io. Annius habet et alii, recipiendum videtur; sed latere nos famam quandam de eo viro antiquam, non erratum esse a librariis, fortasse concedendum est.

v. 52. *contulit* Gron. *tacii* Gron. Rheg. — v. 58. *meta* Gron. *creta* Neap. (ita Rheg.) *cera* Puc. caera v. c. *Perreius*. in ceratis enim tabulis scribebant *Puccius* et *Perreius*. — v. 61.

mamuri Gron. Puc. *mamurri* Neap. *aenae* Gron. — v. 63. *docilis* Gron. Neap. Rheg. — v. 64. *honor* Gron.

III. *Epistola Arethusae ad Lycotem* Rheg.

v. 1. *Haec* omittit Neap. Rheg. *Harethusa* Neap. *licothae* Gron. *licote* Neap. — v. 3. *derit* Puc. — v. 6. *erant* Gron. — v. 7. *Bactra per ortus* omittit Neap. — v. 8. *munitus euricus* Gron. Unde *Neuricus* coniiciebam. cataphracti illius populis tractus tribuuntur, et erat gens diu variis rebus nobilitata. *munitus hericus* Neap. Rheg. Te modo munito sericus hostis equo. [ita reposuit Beroaldus: sic Perreius, non habet Puccius.] codex tamen is vetus (codex tamen ant. Perreius) habet naricus hostis. quid si legatur noricus? quod enim additur munito i. cataphracto equo, non conveniat ita seribus mitem vitam in silvis ferarum ritu degentibus, uti scribit Plin. nisi tamen munito equo ad Lycotam referatur, vidit te munito equo pugnantem *Puccius* et *Perreius*. Naricus v. c. noricus al. *Perreius*. Utrum verius sit, *Sericus* an *Noricus*, non satis liquet. Seribus non tam Plinii locus a Puccio excitatus obstat, quam quod extremae quaeque gentes sibi oppositae vicinos Seras et Bactrianos et componi propter id solitos vix pati videntur. Noricum contra, a Tiberio in provinciam redactum, infestum tunc Romano imperio (*ferrata agmina* his gentibus tribuuntur Horat. Carm. IV, 14.) et in extremis finibus situm admodum commode induceretur; itaque, licet haesitabundus, recepi. Nam *Neuri* etiam placent.

v. 10. *Eoa-aqua*, *discolor* Omnes; neque quidquam corrigendum aio. nam *discolor*, varii coloris, potest et in se varios colores habere et differre colore ab aliis; quae varietas notionis in omnibus a *dis* compositis verbis obtinet, et contrarium in iis, quae a *cum* formantur. Recte de hac voce iudicat Zinzerling ad Valer. Flac. V, 565. — v. 11. *et pactae mihi* Gron. *et parce avia* Neap. *hae* (*et* Rheg.) *pactae sunt mihi* Puc. Rheg. — v. 13. *pertulit* Gron. — v. 14. *ab adverso* Gron. — v. 16. *Victa* Gron. — v. 17. noxia, pro obnoxia *Puccius*. — v. 19. *inmerita* Neap. *quae* Neap. — v. 20. aera v. c. *Perreius*. Quod praeferam, si a Puccio quoque notatum videam; ut enim vinctae ossibus tubae sunt, structae tamen sunt aere rauco. — v. 21. *torquet aeno* Gron. *torqueat ocno* Neap. Puc.

v. 24. *inbelles* Neap. — v. 28. *Et* Gron. *E* Neap. Puc. *iste* Gron. Neap. Rheg. quia amantes pallent, suspectus est; hinc *iste*, ut in re turpicula, quam tangere timemus. — v. 33. *castrentia* Neap. — v. 34. *in gladios* Gron. Puc. *ingladios* Neap. (ita Rheg.) *texta* Puc. radios, texta v. c. *Perreius*. An in gladios suos texta, quod indutus ea lacerna congressurus sit tyriis et illis eois populis? Ita Tyria lacerna Tyrios impu-

gnabit. an ad texturae picturam referendum est, quae distincta esset gladiolis? *Puccius* et *Perreius*, qui addit: Sed potius Radios. *radios* a vetere codice accepi, *texta* non possum cum pensis et Tyriis velleribus iungere.

v. 36. *Quod* Neap. *equs* Neap. — v. 41. *soror curis. et* Neap. — v. 47. *parat* Gron. *pater* Neap. Puc. (*patet* Rheg.) *atlas* Rheg. *Atlas* v. c. *Perreius*. Cum pater Atlas. ita habet is codex. lego cum piger altas. nisi vero mavis intelligere de monte Atlante, cuius verticem nivibus oppleri vel Vergiliano patet carmine. ita mons Atlas dicetur pater ob senii fabulam et africus a regione *Puccius*. Neque *Africus pater Atlas*, neque omnino ab Atlante petita tempestatis hiemalis descriptio potest vera videri; quare *altas aquas* cum reliquis codicibus tueor; *Africus* autem in versu 48 vitiosus videtur, quum *pater Africus*, vel *pater Arcticus*, (quod alii invenerunt,) *ventus* nihili sit. neque quidquam puto posse inveniri verius, quam quod Lachmannus dedit *A r c t o o in glaciem frigore nectit aquas*.

v. 49. *aperto* Lachmannus *aperte* suadet, vel *rapto* ex *apto*, ut Passeratius in cod. invenerat; et verisimile admodum est, quum *r* excidisset, apto esse scriptum propter versum stabiliendum. — v. 51. *tibi* Gron. Rheg. *te* Neap. Heinsius correxit *si;* verum ad hanc particulam indicativum addi exspectes, quum valeat, *quando*. Ego explico: Quo mihi ornatus? tibi fulgeam purpurâ, tibi placitura me ornem, non mihi aliisve. liberior usus esset pronominis in versu minori: *tuas manus* ut habent Gron. Rheg. i. e. meas manus crystallus propter te ornet; coniugis esse suas manus diceret. sed Neapolitanus dat *meas*, quod praefero; *tibi* ad hunc etiam versum intelligitur. — v. 53. *rarisque* Omnes; (non *raris*) — v. 54. *lares* Gron. Rheg. *laros* Neap. Interpretor: Vix quidam, ex exiles hi quoque ad menstrua tura apparatus fiunt.

v. 55. *Graucidos* Gron. Neap. *Glaucidos* Puc. *est*] *et* Gron. — v. 56. *toro* Gron. Neap. (et Rheg.) *tori* Puc. ablativus verus est. Ea mariti partem in toro habet, nec tamen omnem; quod cum gemitu puella queritur. — v. 59. *furtivo* Rheg. pro finitimo *Puccius*. — v. 60. *tangi*] pro tingi *Puccius*. tingi v. c. *Perreius*. — v. 61. *ornis* Gron. Neap. Rheg. *eadem* Gron. — v. 62. *Succinctaeque* Gron. (i alia fort. manu *Schraderus*), *Succincteque* Neap. (*Succinctaeque* Rheg.) *Succinctique* Puc. Succincti Pon. c. *Perreius*. *sacra* Puc. sacra v. c. *Perreius*. cui lectioni *calent* obstare videtur. — v. 68. *triumphantis* Gron. Neap. Rheg. — v. 71. *capinae* Neap.

IV. *Fabula tarpiae* Rheg.

v. 1. *Tarpeum* Gron. *tarpeae* Gron. *tarpelae* Neap. — v.

3. *conditus* Gron. Neap. Rheg. Colotianus et duo Vaticani *consitus*; quod puto recipiendum esse, ut plerique receperunt. — v. 7. *praecinxit* Gron. — v. 12. *foco* Gron. Neap. — v. 15. *Hic* Gron. *tarpea* Gron. *tarpela* Neap. — v. 17. *Haud* Puc. — v. 19. *proludere* Gron. Neap. Puc. (*perludere* Rheg.) praeludere. proludere Puccii c. *Perreius*. — v. 23. *lumina* Gron. *omina* Neap. Puc. lumina Pon. *Perreius*., quae lectio non satis honesta est. — v. 24. *tinguendas* Neap. Puc. (*tingendas* Rheg.) finxit Pon. *Perreius*.

v. 25. *lymphis* Gron. — v. 26. *taci* Gron. *tacii* Neap. *tati* Puc. — v. 29. *tarpea* Gron. — v. 31. *tacitae* Gron. — v. 32. *famosa* Gron. Neap. — v. 34. *arma* Gron. (et Guarnerianus) *esse* Neap. Rheg. *ora* egregie correxit Fr. Gronovius Obss. IV, 6. p. 579. ed. Lips.; arma quidem iam nunc videbat vs. 32. — v. 35. *abdita* Gron. — v. 37. *reponat* Puc. optantis *Puccius* reponat. optantis. sic ibi *Perreius*. — v. 38. *destras* F. M. — v. 42. *lecto*] pro recto *Puccius*. ita codex habere videtur; *lecta* vs. 44 sequitur. *torta* Gron. Neap. *certa* Rheg. pro torta *Puccius*. Antitheto quaesivit venerem carmini, torta via recto stamine *Puccius*.

v. 48. *cape* Omnes; *cave*, quod verum est, qui primus dederit, ignoro. *rorida* Gron. Neap. (*rosida* Rheg.) *roscida* Puc. — v. 51. *magicae*] *magine* Neap. — v. 55. *pariam tua ne* Gron. *pariamne tua* Neap. *patiare tua* Rheg. Si coniux pariamve tua regina sub aula v. c. *Puccius* et *Perreius*. Sic hospes patiare una regnem ipsa sub aula, Pon. *Perreius*. Puccii codicem veram exhibere lectionem, mihi quidem persuasum est; *si* in precatione sine verbo ponitur. — v. 57. *Si manus* Gron. *aut* Neap. (nullus *Sin*).

v. 61. *himenee* Neap. — v. 63. *buccina* Puc. (*bucina* Rheg.) — v. 68. *nefariis* Gron. Neap. Rheg. se flammis P. (Pontanus) *Perreius*. Vulgo ex Livineio *se furiis* legunt; ego meam coniecturam recipere ausus sum, *ve furiis*, quum sensu cassa codicum lectio expellenda esset. — v. 71. *thermodoonta* Gron. Neap. Rheg. — v. 72. *abscisso* Gron. Rheg. *absciso* Neap. *sinu* Gron. Neap. Rheg. Recipiendum puto Broukhusii *abscissos-sinus*. — v. 73. *palilia* Gron. Rheg. *parilia* Neap. — v. 74. *caepi* Neap.

v. 75. *in urbi* Neap. — v. 76. *divitiis* Omnes. Quidam codices habent delitiis. *Beroaldus*. Atque eam lectionem cuncti receperunt interpretes, me probante; vulgo enim hae voces alterius vice scribuntur. — v. 78. *immundas-dapes* Omnes. *pedes* est in Colotiano et Vatic. primo; qui primus *immundos-pedes* dederit, non liquet. — v. 83. *remissos* Gron., alia manu corr. *dubius mons ascensu* haud dubie propter viam lu-

bricam vocatur, quam vs. 49 descripserat. Sed cur hic eam montis naturam repetat, mox additurus *festoque remissus*, non facile dixeris, quum *que* valere *sed* non posse intelligamus; erat nunc potius ascensu *tutus*. Neque versus brevior: *Nec mora* etc. satis cohaeret. Quare vitiosum versum esse non dubitamus, an bene correxerim, ipse iudica: *Mons erat ascensus*, dapibus *festoque remissus;* Similiter V, 3, 63: *he, precor*, *a s c e n s i s tanti sit gloria B a c t r i s.*

v. 84. *vocalis* excerpta Scaligeri. — v. 85. *somnos* Omnes; quod explico, omnia, nox, dapes, festus dies, Romuli imperium, canum internecio somnos dabant. Lachmannus scribit: *Omnia praebebant somni.* — v. 86. *tuis* Gron. Neap. Rheg. Ego in hac subita Tarpeiae appellatione nihil, quod me moretur, invenio. Plerumque ex fide Leidensis secundi et Exceptt. Scaligeri scribunt: *suis.* — v. 88. *ipsa* Omnes. Videtur ex Plautino more dici, *id quod volebat*, vel saepius, *ut voluit* etc.; cuius locutionis exempla Bothius congessit ad Militem II, 1, 39. Plerumque, quod verius videtur, *ipse* ex correctione Heinsii dant. — v. 93. *tarpeo* Gron. Legendum aio: *A duce Tarpeia*, vel potius, ut magis conclusa oratio sit: *Hac duce Tarpeia.* — v. 94. *iniuste* Gron. Rheg. Quod iam Lachmannus scribendum viderat. *iniustae* Neap.

V. *Epistola ad lenam.* Puc.

v. 3. Vulgo *at* ex Perreio et aliis. *cerbarus* Gron. — v. 6. Fortasse verius, quod cum Perreio multi recentiores habent: *pessima semper anus;* facilius ita oratio ad vss. sequentes pergit, qui non plena interpunctione seiungendi erant. — v. 12. *duluerentur* Gron. In versu maiori recte ut oratio procederet, Lachmannus commate post *et* posito effecit; *ut* Perreius habet. — v. 13. *inponere* Neap. — v. 15. *Posset et* Omnes; *Possit ut* Perreius et alii. — v. 18. *Hippomenes* Gron. Neap.

v. 19. *Exorabat* Gron. Neap. (Rheg.) *Exorabit* Puc. *perure* Neap. praeiret *Perreius.* — v. 20. *ferat* Gron. Neap. (Rheg.) *terat* Puc. Dedi versus, uti codices iubent, legendos autem ita esse coniicio:

Exorabat opus verbis, seu *blanda perurat,*
*Saxosam*ve *terat*, *sedula*, *culpa viam.*

Hoc sensu: Sedula opus verbis exorabat, seu culpa blanda (puellam) perurat, (vel proclivem per se ad peccandum puellam) seu difficilis ad culpam via sit, i. e. sive casti mores expugnandi sint. Coniunctivum praesentis videtur, quia generalis oratio est, post imperfectum posuisse. Similem tamen post imperfectum structuram non habere me confiteor. Itaque fortasse *exorabit* a Puccio erit accipiendum, uti supra *illa velit.*

v. 21. *doroxanthum iuvat* Gron. *dorozantum iuvat* Neap. *iuvat derorantem* Rheg. Dorozantum v. c. *Puccius*. Dorozantumque (sic Ald. 1515) v. c. *Perreius*. Turnebus hinc fecit *Doroxanium;* fortasse probabilius *Doryxenium* esset. Sed orationis haec forma: *Eoa aurea ripa* facit, ut verisimilius videatur gentis alicuius nomen in genitivo enunciatum in prava codicum lectione quaerendum esse. Verum ego, quod quidem ab omni parte probaretur, nullum, quaerens, inveni. Neque tamen silebo, quod in mentem venerat. Est in India fluvius *Hiron' ya vâhos* i. e. aurifluus. Huius fortasse fluminis hic nomen habemus a Graecis tamen more suo aliquo modo deflexum. v. 23. *Euripidique* Gron. *testura* Gron.

v. 24. *Textaque* Puc. et Perreius. — v. 25. *Seuque* Neap. — v. 26. *Myrrheaque* Gron. — v. 28. *Frange et* Gron. et Perreius. *Frangent* Neap. Rheg. — v. 29. *simulare iram* coniicit Heinsius, quod nolim propter versum 31. Puto: *Et simulare metum;* ut supra: *Nec dicet: Timeo; propera iam surgere, quaeso; Infelix, hodie vir mihi rure venit.* Sed *metum*, ut nunc video, iam Heinsius suaserat; Iacobsius *aegrum* coniicit; comparans Ovid. Amor. I, 8, 71. — *clausis* Rheg. — v. 30. *recurrat* Gron. — v. 31. *vexaverit: utilis* Gron. — v. 34. *similes* Gron. Neap. *simules* Puc. *syderis* Gron. Rheg. *sideris* Neap. Tibul. Saturni aut sacram me tenuisse diem. Beroaldus legit Isidis esse dies. *Puccius*. Sideris dies simulari nequit, quum utrum dies hic sit nec ne quivis possit scire; nisi interpretaris, superstitiosam te finge diei observatione.

v. 35. *tundat* Gron. Neap. *condat* Rheg. condat, ponat diem tuum natalem Idibus Maiis *Puccius*. *amicle* Gron. *amicle* Neap. *amicla* Puc. (*amiclae* Rheg.) — v. 36. *malis* Gron. Neap. (Rheg.) *Ma is* Puc. — v. 39. *circa* Omnes. *circum* Vossianus tertius. — v. 40. alterius *Perreius*. quod verius videtur scribi. — v. 41. *Non* Rheg. — v. 44. *getes* Neap. — v. 45. *brachia iactat* coniicit Heinsius. — v. 49. *displiciat* Gron. — v. 50. *nec* Omnes; confer tamen Lachmannum ad hunc locum. — *acra* Neap.

v. 52. *Celati* Gron. Neap. Rheg. i. stigmatici *Puccius;* recte, si de barbarorum omne corpus notis persignantium more intellexit. corrigunt: *cretati*, sed cretati pedes barbarorum titulo iam notari videntur. — *saliere* Gron. Rheg. *saluere* Neap. — v. 53. *adferat* Neap. — v. 54. *feras* Gron. paene dicam verius. hic secuntur in v. c. duo illi versus 2ae Eleg. primi libri Quid iuvat ornato procedere (praecedere Rheg.) vita capillo Et tenues coa veste novare (movere Gron. Neap.

Puc. tenere Rheg.) sinus *Perreius*. habent Gron. Neap. Rheg. Neque ego reiicio: Recitat pessima anus in Propertii irrisionem illos versus, et praeceptum subsequens eis adiungit, ex re ipsa desumtum.

v. 58. *Ipsius* Gron. Neap. Rheg. qui primus *Istius* correxerit, ignoro. *arte* Rheg. sine aere v. c. *Puccius*. *Perreius*, atque sic Gron. Neap. — v. 60. *ne quis eat liber amore dies* Puc. (*ne quid eras liber ab˜ore dies* Rheg.) Insignis clades Puccii fidei infertur per Domitii hanc Calderini interpolationem in textum acceptam. — v. 61. *adorati* Gron. — v. 63. *animum* Gron. *animus* Neap. *animos* Puc. (*animis* Rheg.) *vestre* Gron. *acanthis* Gron. *achantis* Neap. Puc. (*achantes* Rheg.)

v. 64. *Per tenues ossa sunt numerata cutes* Gron. Neap. Rheg. Eiiciunt plerumque. Sed quum alios etiam suppositios versus in carminum tenore reliquerimus, constantia, ne hic eliminaretur, postulare videbatur. Et fortasse versus Propertii est, sic restituendus: *Per tenuem ossa mihi sunt numerata cutem.* Dum illa avaritiae praeceptis amicam duram in me reddit, ego desiderio consumtus marcesco. — v. 67. *Vudi* Neap. — v. 69. *integeres* Gron.

v. 70. *pocula curva* Gron. Rheg. *percula curva* Neap. percula curta, ita habet v. c. legi potest tegula curta: ea enim adhibebatur feralibus. Ovidius in his ipsis describendis in II fastor. Tegula proiectis sat erit velata coronis. *Puccius*. pergula curta v. c. *Perreius*. Plerique *tegulam* receperunt; ego cur consentientium fere codicum lectio damnetur, nullam idoneam causam video. cf. Gesneri, de hoc loco, in thesauro iudicium.

v. 72. *inmundo* Neap. *pallia* Neap. — v. 73. *At* F. M. *exporrecta* Neap. — v. 74. *cultra* Gron. (Rheg.) *caltra* Neap. *clatra* Puc. legi potest et claustra *Puccius*. *claustra*] clatra v. c. legitur et cultra *Perreius*. *clatra*, licet Capri auctoritas contra stet, tamen videbatur ex codicum vel aperta vel obscurata fide tuendum. — v. 75. *cincto* Gron. — v. 77. *cedito* Gron. Neap. Rheg. *caedite* Livineius dedit. — v. 78. *tum* Rheg. *adiice* Gron. Puc. *addite* Neap. (Rheg.) et alii.

VI. *De sacrificio* Rheg. De sacrificio v. c. *Perreius*.

v. 3. *philippeis* Gron. Neap. *philethaeis* Puc. philethaeis v. c. *Puccius*. — v. 4. *Et* Gron. Neap. *Atque* Puc. Cyrenae enim primam corripuit *Puccius*. Atque v. c. *Perreius*.. ·rene ..mam .. ripit.. atque.. v. c. *Perreius*. Quum etiam Callimachus, quem maxime secutus videatur Prop., tam producat, quam corripiat syllabam primam, utram particulam, *Et* an *Atque*, veriorem dicam, nescio. Adiectivam formam Callimachus producit Epigr. XIV, 2. — v. 8. *modis* Puc. modis v.

c. *Perreius*. utcunque interpolationis damnanda, blandissima tamen scriptio est.

v. 11. *De Caesare* Rheg. De Caesare, et est alia elegia in v. c. *Perreius*. adde in Gron. Neap. — *referamus* Puc. — v. 15. *athamena* Gron. *athamana* Neap. Puc. — v. 21. *teucro* Gron. Neap. *tenero* Puc. *taucro* (non *tauero*) — *Perino* Mentelianus. — v. 22. *acta* Gron. Puc. *apta* Neap. Altera classis pilaque Cleopatrae Quirino damnata erant. — v. 25. *aciem* Gron. Neap. *acies* Rheg. *nervis* Neap. — v. 26. *et* omittit Gron. addit Neap. Rheg. — v. 28. *unda* Gron. *unda* Neap. *illa* Puc. vulgo *ante* ex coniectura Lipsii; ego *una* a Groningano accipio. — v. 29. *puppem* Rheg.

v. 34. *Egissetque* Neap. — v. 35. *pynthona* Gron. *pitona* Puc. — v. 36. *inbelles* Omnes; (non *imb.*) — v. 39. *tibi*] *mih* Gron. — v. 41. *iudice* Gron. — v. 42. *suae* Gron. — v. 43. *nisi*] *mihi* Gron. *augur* Gron. Neap. Rheg. *auctor* Bentleius ad Horat. Carm. III, 3, 66 legendum contendit; posse auctorem dici, non nego; esse dicendum auctorem non concedo; neque hic abesse hanc vocem et sensus et versus insequens patitur. et assumit augur genitivum rei per augurium inquirendae. — v. 45. *En* Puc. *Et*] Pro v. c. En pis. *Perreius*. *prope* Gron. Neap. Rheg. Videtur *pro* Perreii potius huc, non ad *Et* pertinere; *En* an recipiendum esset, haerebam. Interpunctio ex parte Lachmanno debetur.

v. 47. *remiget* Omnes. *remigat* Leidensis secundus et Vossianus tertius. — v. 48. *et multo* Gron. *invito* Neap. Puc. — v. 49. *minantis* Gron. Neap. (Rheg.) *minantes* Puc. — v. 50. *experiare* Rheg. — v. 54. *vilia* Neap. — v. 55. *in*] *et* Gron. — v. 59. *Italio* Neap. — v. 60. *Sum deus* defendit Iacobs Blumenl. *est nostri* Neap. *et nostri* Gron. Rheg. *en* primus, nisi fallor, Marklandus voluit. *Et* saepe cum emphasi ponitur. — v. 64. *Hoc unum* Intellige: contra dici possit in hac re, seu in laudem Cleopatrae; hoc unum adepta illa est, (non per fugam, sed per fortitudinem,) quod liberam mortem nacta est. Et graeci et nos sic loquimur, si leviter corrigere volumus, quae diximus. Et sic gloriam Romanorum hac una re non expletam fuisse ait, quod Cleopatra se triumpho voluntaria morte subtraxisset. *Di melius!* Sed nolite imminutam hac re Romanam gloriam putare. In Cleopatrae laude se iterum corrigit. confer N. Heinsius ad Ovid. Metam. VII, 37.

v. 72. *Blanditiaeque* Gron. Neap. quod defendit recte Iacobsius. *Blandidulaeque* Puc. Blandidulaeque aliter *Perreius*. Blandusiaeque fluant. Pon. *idem*. — *Blandae utrimque* Lachmannus. — v. 74. *Perque* Neap. *calisca* Gron. — v. 75. *po-*

sitis Gron. *positis* Neap. *potis* Puc. — v. 77. *sevire* Gron. *sÿcanbros* Neap. — v. 78. *Cephean* F. M. Neap. *myron* Gron. *merom* Neap. *meroen* Puc. — v. 80. *Reddit* Gron. — v. 81. *aliquid* Gron. Neap. Puc. (*aliquis* Rheg.) *aliquis* F. M. aliqua v. c. *Perreius.* — v. 85. *carmina* Neap.

VII. *Ad Cynthiam* Rheg.

v. 2. Legi potest etiam lucida (ita Rheg.) lucida umbra i. anima clarorum virorum manium evincit rogos et superat post mortem *Puccius. eiunctos* Neap. — v. 5. *ab exequiis somnus* Gron. Puc. (*exquiliis* Rheg.) *somnus ab exequiis* Neap. — v. 7. *Hosdem* Gron. Neap. Rheg. *elapsa* Gron. — v. 8. *Hosdem* Gron. Rheg. *Eosdem* Neap. — v. 9. *berilon* Gron. Rheg. *beryllos* Neap. — v. 15. *exciderant* Omnes; quod probum; vulgo *exciderunt. vigilantis* Gron. *vigilacis* Neap. Puc. *suburae* Neap. *suburrae* Puc. vigilacis pis. vigilatis tecta subire (ita Rheg.) alibi *Perreius.*

v. 19. *comissa* Gron. *comixta* Neap. Rheg. *est* Gron. Neap. Rheg. vulgo *et* — *musto* F. M. — v. 23. *inclamavit* Neap. Quod fortasse verius scribetur; non quod inclamandi quidam mos oculos fuerit morientium, sed revocare, qui iamiam nos sunt relicturi, quorum oculi natantes proxime instare durissimum discidium indicant, admodum naturalis est actio, eoque nos versus brevior dirigit; qui idem a formandorum oculorum ritu longius recedit. Posse autem amore, desiderio, voto retineri fugientem animam putarunt multi. — *euntes* Gron. v. 25. *fixa* Gron. Rheg. *fissa* Neap. Hic quidem omnes codices hoc distichon collocant, quum tamen stare hic non potuisse mihi certissima res sit; ut enim in longiore versu putemus aliquem ignotum nobis ritum funebrem significari, minor tamen nullo modo videtur ad id posse aptari, quod hic agi monemur; nam ante exsequias actam rem esse docet *Denique* in vs. 27. Plurimi versus post *Fecerunt tepidas pallia nostra vias* et exponunt vario modo. Ego Broukhusium verum vidisse arbitror, sedem esse quaerendam aliam. Nam Foedus tacitum non potest a pallio per hoc distichon bene disiungi. Itaque malim addere post versum 18, mutato *Nec* in *Ac* ita:

Per quam demisso quotiens tibi fune pependi,
Alterna veniens in tua colla manu,
Ac crepuit fissa me propter arundine custos,
Laesit et obiectum tegula curta caput!

Ad ea enim pericula propter Propertium suscepta optime versus coëunt, et haud dubie quam poterat ea grandia faciebat neglecta Cynthia.

v. 27. *curvum* Gron. Neap. Puc. (*currum* Rheg.) *furvum*

coniecit Heinsius. ego non damno; eodem modo, sed alio sensu, V, 2 pastorem Vertumnus *curvabat*. — v. 28. inmaduisse v. c. *Perreius*. — v. 30. *Lusisses* Gron. *letum* Rheg. a. lectum *Puccius*. lethum v. c. *Perreius*. — v. 33. *yacinthos* Gron. (sic Rheg.) *hyacinctos* Neap. *hyacinthos* Puc. — v. 36. *pallia* Neap. — v. 37. *At* Gron. *Aut* Neap. Rheg. Utrumque probum est, sensu vario. *prodat* Puc. *salinas* Neap. — v. 42. *Garula* Gron. *loquuta* Gron. — v. 44. *inmundi* Neap. — v. 45. *lalagae* Gron. *lalace* Neap. (ita Rheg. quoque) *lalage* Puc. — v. 46. *negare* Gron.

v. 48. *Ardenti* Gron. *Ardent* Neap. (ita Rheg.) *Ardente* Puc. ardente pis. *Perreius*. Audaxe *idem*. — v. 50. *mei* F. M. — v. 51. *Iure* Gron. Rheg. *revocabile* Gron. *re volubile* Neap. Rheg. — 55. *quesita* Gron. *perannem* Neap. — v. 56. *navigat* Gron. — etiam Mentelianus. — v. 57. *altera* Gron. Neap. (Rheg.) *atraque* Puc. *altera* aperte falsum est, neque *atraque* tam codicis lectio, quam Puccii aliusve inventum non suave videtur esse. *unaque* a Livineio propositum plerosque libros occupat; sed aliena ab hoc loco eiusmodi repetitio est. *ac rate* corrigit Lachmannus. Mihi accidit, ut duarum correctionum utra verior videatur, non possim iudicio dirimere; altera est: *arteque Cressae Portat mentitae lignea membra bovis*. Arte mentita bos multis, puto, ut mihi placebit. sed non minus mihi quidem verisimilis altera visa est. *Una Clytaemnestrae stuprum vehit ausaque Cressae*, monstra lignea appositio sunt. Iudicent eruditi, an altera et utra vera sit.

v. 58. *lignea* Gron. — v. 59. *vecta* Gron. Puc. *parta* Neap. (ita Rheg.) *faselo* Gron. Neap. — v. 60. *elysas* Neap. (Rheg.) — v. 61. *qua querar* (quaerar Neap.) *ut unda* Gron. Neap. *quaque errat turba* Puc. (*qua querat in unda* Rheg.) Egregia Scaligeri ac Turnebi, quam carmina ostendunt, lectio ipsa codicum scriptio est, nisi quod *ut* in *ot* mutarunt. *cybelles* Gron. Rheg. *cybeles* Neap. — v. 63. *Andromadaeque* Gron. Rheg. *hypermestrae* Gron. Neap. Rheg. Hyperm .... (supplendum . . estra) v. c. et est . . . longa. Ovid ... ttit hyperme ... (epist. 14, 1. sequuntur aliquot litterae, quas non expedio) ..... *Perreius*.

v. 65. *sua maternis* Gron. *summa aeternis* Neap. Rheg. Utra scriptio verior sit, non iudico. Groninganus hic solus contra reliquos stat, et *aeterna* in astris vincula, tum *summa* brachia nihil, quod non verum videatur, praebent. Quod autem dici possit, non astrorum illam honorem questuram fore, sed vincula vera, non ego magni ad iudicium ponderis esse arbitror. In versu 64 *historiae - suae* parenthesis signis inclusi, ut *Haec - Narrat Hypermnestre* oratione continuentur.

— v. 67. *hypermestrae* Gron. Neap. *hypermestra* Puc. — v. 69. *vitae*] *in te* Gron.

v. 72. *doridos* Gron. *chloridos* Neap. *colchidos* Puc. (*cloridos* Rheg.) colchidos v. c. *Puccius* et *Perreius*. — v. 73. *desidere* Gron. — v. 74. *potuit* Neap. *amara* Puc. amara v. c. *Perreius;* lectio optima; sed utra a Propertio sit, non diiudico. amarus alicui facilius cadit, quam avarus alicui; sed vix hinc validum argumentum sumatur in Propertio. — v. 75. *abusa est* Neap. — v. 76. *ille* Gron. prima man. *ille* F. M. — v. 80. *Molli* Neap. — v. 81. *Ramosis - pomifer* Omnes. Tam autem Broukhusii correctio, quam carmina praebent, vera visa est, ut expellere eam non potuerim. Quia *pomosis - pomifer* erratum fuerat, correctores primam vocem in *Ramosis* mutarant. — v. 83. *Hic* Gron. Neap. Rheg. et alii optimi; vulgo *Hoc*. *media* fortasse *modica*.

v. 85. *Tyburtina* (*Tiburtina* Puc. *Tyburina* Rheg.) *iacet hac* Gron. Rheg. *Set tiburna iacet hic* Neap. Vere dederunt (Muretus?) quod carmina exhibent. Si tiburtina Cynthia erat, non brevi hoc monumento honor Anieni accedebat, sed loco natali. — v. 86. *amene* Gron. *aniane* Neap. Aniene in uto (sic scriptum me non intelligente Lachm. fortasse ute vetere) *Puccius* . . . . iene . . . tiquo (quae sequuntur non expedio) . . . . *Perreius*. — v. 95. *querela* Gron.

VIII. *De Cynthia et dracone* Rheg. Elegiam hanc puto carere fine: nec enim initii promissum redditur, quae causa fugarat exquilias *Puccius*.

v. 1. Cur aquosas exquilias? *Puccius*. Paludosum montem fuisse facit *lucus Mephitis* ut concludamus ex Varrone L. L. IV, pag. 15. ed. Bip. confer Servium ad Virg. Aen. VII, 84. — v. 3. *Lanuvii* Puc. et Perreius. (*Laminium* Rheg.) *dragonis* Gron. — v. 4. *ora* Gron. — Sanum hunc versum esse, nequaquam mihi persuadetur. Puto legendum esse: *Huc mea tam rarae non perit hora morae*, ut versu demum 15 interrupta per descriptionem oratio pergat. — v. 8. *una* Neap. (sic et Rheg.) — v. 10. *temere* Gron. Neap. Rheg. ablativus apud Propertium saepe nobis notatus; temere, cum anguineum os sit, manus huic creditur. Vera tamen fortasse Vossiani quarti aliorumque lectio: *tremere*. Scal. *tenera*.

v. 14. *que* omittit F. M. — v. 15. *advecta* F. M. *ab annis* Gron. Neap. *mannis* Puc. — v. 16. *vino* Neap. — v. 21. *Spectac lum* (u deleta) Gron. *Spectaculum* Neap. sic et vs. 56. — v. 22. *iocos* F. M. (ita Rheg.) *locos* Gron. Neap. Puc. — v. 23. *Serica nam capto volsci* Gron. *Siriganam tacto volsi* Neap. *Sirica* (*Siriga* Rheg.) *nam capto volsci* Puc. Rheg. *ne-*

potis Gron. *nepoti* Neap. Rheg. Beroaldus reposuit, Serica nam taceo vulsi carpenta nepotis *Puccius*. vulsi *Perreius*. Sic auriga trahit volsi. Pon. *idem*. — v. 24. *malosa* Neap.

v. 25. *inmundae* Neap. *farta* Puc. Qui ubi florem aetatis amiserit, efficietur popinarius, si legatur fata, gladiatorem significare poterit. sed non cadit in mollem audacia gladiatoria: proinde lectio vetus, quae habet farta, melior. *Puccius*. — v. 28. *Multato* Neap. *voluit* F. M. Neap. Rheg. — v. 29. nova elegia in Gron. Neap. Rheg. De magno Cynthiae amore erga se. — Una est elegia cum superiore in veteri codice *Perreius*. — v. 31. *tarpeos* Gron. *tarpelos* Neap. *inter est* Neap., sed *est* manu rubricatoris in spatio vacuo scriptum.

v. 33. *lenire* Gron. Puc. (*linire* Rheg.) *venire* Neap. — v. 37. *utrique* Gron. Neap. Rheg. *vitrique* Scaliger dedit. — v. 38. *graeca* Gron. Neap. Rheg. *Graia* Palmerius scripsit. — v. 39. *Nile tuus* Omnes. *Nilotes* correxit Scaliger. *choralistria philis* Gron. *eboralistria phillis* Neap. *choropsaltria phyllis* Puc. (*choralistria phyllis* Rheg.) choropsaltria una dictio, proinde o in secunda corripitur *Puccius*. choropsaltria v. c. *Perreius*. *crotalistria* emendavit Turnebus. — v. 41. *Magnus* Gron. Neap. *Nanus* Puc. *suas* Gron. — v. 44. *Reciditque inque* Gron. *Recidit inque* Neap. *Decidit inque* Rheg.

v. 45. *secundo* Neap. — v. 47. *caeto* Neap. — v. 48. *ei michi* Neap. — v. 51. tum videtur esse in Gron. *Schraderus*. *cum* Neap. Rheg. — v. 57. *conicit* Neap. *ungues* Gron. Neap. Puc. *ignes* margo Gron. (itaque Rheg.) — v. 58. *aquas*] tanquam ad extinguendum incendium. melius tamen legatur anus. *Puccius*. Sic ego quoque iudico. *ignes* quidem versu superiore quin hae aquae pepercrint, nequaquam dubito. — v. 61. *Illam* Gron. — v. 63. *gaudet in exuviis* Gron. Neap. *gaudet et exuviis* F. M. *in exuviis* (*eximiis* Rheg.) *gaudet* Puc. Rheg. *cucurrit* Gron. — v. 65. *Inponitque* Neap. — v. 68. *fusca* Gron. Neap. *fulcra* Puc. *frustra* Rheg. *iacens* Rheg. fusca sinistra latens *Perreius* (fulcrà sinistra iacens Aldus). Hic, uti aliis locis multis Beroaldum sequi Puccium, non codicem magna suspicio est.

v. 69. *Exuitur* Gron. Rheg. *Eruitur* Neap. *protractus* Neap. quod fortasse non minus, quam *eruitur* recipiendum erat; amare haec participia Propertium aliquoties adnotatum est. — v. 71. *venit* F. M. — v. 75. *ponpeia* Neap. — v. 76. *sternit* Gron. — v. 78. *sudet* Gron. Rheg. *sidet* Neap. recepi *sidat*, quamquam unde illud *a* sit, non sane perspicio; neque plane veram hanc correctionem affirmem; alii *se det*, fortasse verius, sed accentus displicet. *aperta* Gron. Neap.

et
Rheg. vulgo *operta* praeter necessitatem. — v. 80. *in* Gron. — v. 81. *legem* Neap. *ego. legibus* Neap. — v. 84. *Sufficiat pura* Gron. *Sufficat. pura* Neap. *Suffit et a pura* Puc. (*Sufficit: et pura* Rheg.) Sufficit et pura lumina. Pon. *Perreius*. Puccii lectio verissima videtur, quamque reliquorum stribligo omnium subindicat. — v. 85. *lucernas* Neap. (Rheg.) quod puto verius esse. — v. 88. *Respondi et toto* Gron. Neap. (ita Rheg.) *Despondi et tuto* Puc. despondi in verba et leges ab ea dictas: atque ita solvimus arma, finivimus rixam reconciliati venerea pace in tuto toro, iam pacato nec ut ante infesto *Puccius*. Quam lectionem recipere tutissimum putavi. Nam arma solvere *toto* toro, vix sanum, *et sponda*, quod corrigunt, nisi simul *movimus* scribas, eodem pertinet; *despondere* eius, qui *sponsionem* accipit, proprium. Ex vetere autem codice lectionem esse Perreius affirmat.

IX. *De foro boario* Puc.

v. 2. *eryteae* Gron. *erithea* Neap. *erithraee* Puc. (*erichthee* Rheg.) sic de eodem Ovid. Erithreius heros. significatur Geriones *Puccius*. — v. 3 *et adductos* Gron. *et advictos* Neap. *ad invictus* Rheg. Hanc lectionem, quam scriptus codex nullus ostendit, editiones veteres praebent omnes, videmur codicibus, qualis Puccii est, debere. mihi vera videtur. *eductos* corrigit Lachmannus. — v. 4. *fatuit* Gron. — v. 5. *quoquae* Neap. — v. 8. *Incolumis* Neap. *Iovem*] vetus codex ita habet (*locum* Rheg.) et sane significat Iovem hospitalem. *Puccius*. — v. 9. *Insula* Gron. Neap. *Incola* Puc. *caccus* Gron. *chacus* Neap. *cacus* Rheg.

v. 10. *focos* Gron. *sonos* Neap. Rheg. — v. 19. *bovaria* F. M. Neap. *bo aria* deleta littera Gron. *boaria* Rheg. — v. 20. *vestra* F. M. Neap. Puc. (*nostra* Rheg.) — v. 21. *torquet* Neap. — v. 22. *non nullas* Neap. *festa* Gron. *faeta* Neap. Rheg. *ministret* Neap. *fetam* non eam terram interpreter, quae aquas visceribus condit, sed quae cunctas ediderat, *siccam*. — v. 26. *Inpune* Neap. — v. 30. *cantantis* excerpta Scaligeri. *cantatis* Leidensis secundus. — v. 31. *Huic* F. M. *Huc* Gron. Neap. Rheg. *congesta* Neap. — v. 32. *iacet* Gron. — v. 33. *lucis* Neap. (et Rheg.) — v. 34. *vestra* Gron. (Rheg.) *vana* Neap. *tesqua* Puc. legi potest et tecta *Puccius*. Recipienda videbantur *fana* Scaligeri. — *viis* Neap.

v. 36. *succepto* Neap. — v. 37. *substulit* Gron. — v. 38. *alcidem* Gron. Rheg. *alcidē* Neap. *suscepta* Neap. — v. 40. *ad-natas* Gron. Rheg. *aduatas* Neap. corrigunt *ad notas*. — v. 41. *hominum* Rheg. — v. 42. *Accipite haec* (*Accipit et* Neap. *At post haec* Puc. *Accipit haec* Rheg.) *fesso vix mihi terra*

patet. Ita hunc versum codices habent, ac recte Iacobsius (Blumenl.) non eiiciendum esse iudicat, *non* ex coniectura, ut videtur, legens, quum nusquam eam vocem (*vix*) expellere videam librum scriptum. Nisi longius Puccii lectio a reliquis recedat, ita ut interpolationis suspicionem moveat, recipiam libenter. Ego corrigo: *heu,.* — v. 43. *Quod* Gron. Neap. Rheg. *Quid* Mentelianus et Vossianus Heinsii, etiam Guarnerianus; quod, ut Lachmannus ante me, recipio.

v. 45. *aliquam* Gron. (?) Puc. *aliquem* Neap. (Rheg.) quod nihil obstat, quin tam bene dici putemus, quam quod nunc carmina tuentur, *aliquam. sectaeque* Gron. — v. 48. *lyda* Puc. (ita Beroaldus) reliqui *Lydo.* — *colo* Gron. Rheg. *colu* Neap. (nisi fallor. Lachm.) — v. 51. *et* Gron. *at* Neap. Rheg. illud praefero in leni hac oratione. Eodem modo in hac ipsa elegia hac coniunctione poëta utitur. — v. 56. *undicat* Neap. — v. 57. *Magnam* Gron. Neap. Puc. (*Magna* Rheg.) *Magno* ex codice Passeratii recipiendum erat. — v. 60. *fuit* Gron. Neap. Rheg. *fluit* Fruterius dedit; fortasse vere; sed saepe verbi substantivi usus, dum alius cuiusdam verbi factum praeteritum continentis vicem sustinet, satis longe a consuetudine sermonis recedit; quod an hic sit statuendum, haereo.

v. 64. *vis* Puc. violentia eius has poenas sitis suae posuit *Puccius.* — v. 65. *hinc* F. M. *hi c* deleta littera Gron. — v. 67. *Maximaque* Gron. *Maxima qua* Puc. — v. 68. *inquid* Neap. — v. 70. *Herculis exterminium nescit* Neap. — v. 71. *apera vino* Neap. — v. 73. *Hunc* Gron. Neap. Puc. (*Nunc* Rheg.) — v. 74. *sanctum Taciae* Gron. Neap. Rheg. *Sancum* corrigunt et *Tatii;* ego manum retineo. — *cures* Gron. Neap. *manus* Rheg. pro cures *Puccius.*

X. Adhaeret superiori in Neap. *Iuppiter Feretrius* Puc.

v. 1. *fateri* Neap. — v. 4. *ex* Rheg. — v. 5. *Induis* Puc. Quod praetuli. confer N. Heinsium et alibi ad Claudianum et VI Cons. Honor. 651. Reliqui *Imbuis* — v. 6. *eximio* Gron. Rheg. *exvivo* Neap. pro exuviis *Puccius.* ita c. v. habuisse videtur; sequor Lachmanni argumenta. — v. 7. *acrona* Puc. — v. 8. *Victor nec versum* Neap. — v. 11. *exumeris* Neap. — v. 13. *vibrantem* Rheg. — v. 14. *rates* Neap. (ita Rheg.) — v. 18. *aporco* Neap. — v. 20. *Cui* Puc. propter laxiorem orationem inventum puto. *hirsutis — iubis* Gron. *hirsuta — iuba* Neap. Rheg.

v. 21. *neque* Gron. Neap. *nec* Rheg. *piroto* Neap. — v. 24. *vehios* Gron. — v. 26. *capta* Gron. Neap. *captae* Rheg. *terra chore* Gron. Neap. (et Rheg., sed *chorae*) *terna corae* Puc. terna v. c. *Perreius.* — v. 27. *O vehi* Gron. *E veii* Neap. *Et veii* Rheg. — *praeda* Gron. Rheg. *regna* Neap. — v. 29. *bu-*

cina Neap. — v. 31. *vehius* Gron. *veius* Puc. (*veius* Rheg.) v. 34. *Vineaque inductum* Gron. Rheg. *Vinea qua ductum* Neap. et praeter alios Leidensis secundus, non primus qui etiam Mentelianus dicitur. Praetuli cum Lachmanno Neap. lectionem, alii fortasse alteram, neque contra pugno.

v. 36. *gradu* Gron. Neap. (et Rheg.) *gradum* Puc. — v. 37. *vivere* Neap. — v. 39. *arheno* Gron. *árheno* Neap. *a rheno* Rheg. Guyetus reduxit: *Eridanum*. — v. 40. *palma* Gron. (Rheg.) *parma* Neap. Puc. — v. 41. *Briomarus* Gron. *Virtoi mane* Neap. *Virdomari* Puc. (*Vricomanii* Rheg.) britomarii *Puccius*. Britomani *Perreius*. admodum probabilis Heinsii correctio: *Brenno iactabat ab ipso*. saltem, si a Propertio est, male Rhenus pater inventus est. — v. 42. Mobilis v. c. *Perreius*. *erectis* Gron. Neap. Rheg. *et rectis* Mentelianus; puto vere correctum esse: *e tectis*, neque tamen codicum lectionem audeo spernere. — *gesa* Gron. Puc. *caesa* Neap. (Rheg.)

v. 43. *iurgatis* Neap. *iaculantis* Gron. Neap. Rheg. Lachmannus, *genus hic — rotis* parenthesi includens, *iaculanti ut* corrigit; quod et Iacobsio placuit et mihi placet; recipere non sum ausus. Facile enim, quum tales formas, qualis *Illi* est, nimis studiose propellimus, in errores incidimus non leves. Ciceronem sic loqui certum est; quidni Fastorum scriptori condonemus? tum in poematis nequaquam limatis! *ab agmine* Gron. *abagmina* Neap. *ab inguine* Rheg. *brachis* Gron. Rheg. *bracis* Neap. Ordo est: illi decidit torquis unca ab incisa gula virgatis brachis ab inguine iaculantis, ut ille ablativus absolute positus tutum significet, i. cum virgatae brachae circa inguina iaculantis dependerent *Puccius*. Illi virgatis iaculanti ex agmine bracis v. c. *Perreius*. — v. 44. *gula manu* Gron. *unca gyla* Neap. — v. 47. *vincta* Puc. *umeris* Neap.

XI. *Ad Paulum. Cornelia maritum alloquitur*. Puc.

v. 3. *infrenas* Neap. Sicuti *ianua* versus secundi et monumenti ianuam et orci introitum simul comprehendit, ita *funera* et urna sepulcralis et umbra est. idem in omni hoc carminis initio tenendum est genus amphilogiae. — v. 6. *lachrimas* Gron. *lacrimas* Puc. Videtur rege ipso leges maiores dicere; nam quod audiri non exaudiri preces interpretantur, *rex audiens*, *litora surda* non videntur hoc admittere antitheton; meas rationes, et quae praecedunt et quae sequuntur, adiuvant. — v. 8. *herbosos* Gron. Neap. reliquique optimi; *umbrosos* Puc. et recentiores, quos his fontibus ditatos novimus. Auctoritate igitur illa huic scriptioni videtur praestare; tamen hanc praeferendam ducebam. Quia enim

a sepulcrali monumento desumta comparatio ad orcum translata ita servatur, ut utriusque loci descriptio ambitiose concinat, porta rogi hic non tam apte *herbosa* dicetur, quae ad unum monumentum pertinet, quam *umbrosa*, quae ad utrumque congruit.

v. 13. *Num* Gron. *Non* Neap. Rheg. *inmites* Gron. *immites* Neap. Rheg. *habuit* Gron. Neap. *habui* Puc. — v. 14. *En* Gron. *Et* Neap. Rheg. *legatur* Neap. *Non* et *Et* non minus fueri poteris, quam Groningani *Num* — *En*. *Non* responsionem habebit; *et* etiam in satis acri transitione saepe apud Propertium habuimus. — v. 17 — 74. folium codicis Neapolitani interiit. — v. 18. *huc* Gron. *hinc* Puc. (*hic* Rheg.) *huic* F. M. ita etiam Mentelianus et alii. *hic* recentiores libri et editiones. praefero *hinc*, quo *huic* ducit; explico: *ob id*. — v. 20. *In* Omnes. Durior sit oratio, si *in sortita pila* coniungi iubeas, latina tamen. Plerumque *Is* Heinsii coniecturam recipiunt. Legam ego:

Ut mea sortita vindicet ossa pila,
Assideant fratres, iuxta Minoida sellam
Eumenidum intento turba severa foro.

Ut sensus sit: Aut si iudicium datur, nullum ego ne severissimum quidem iudicem recuso; assideant omnes, et fratres, et Minos, et Eumenides ipsae. cf. v. 49. Ita demum *sortita pila* non abundat, et oratio non vitiose profluit. eodem redit, si ab aliis codicibus *minoia sella* placeat: *Assideant fratres, iuxta Minoia sella, Eumenidum* — *turba*. *Assidere* posse de consessu dici, probavit ad hunc locum Lachmannus. — *iudicet* Gron. Rheg. iudicet Gron. ut videtur, sed correctum *Schraderus*, non E. v. Driel, qui ponit *iudicet*. *vindicet* F. M. satis hoc testimonium duorum auctoritate elevatur, itaque, invitus quidem, *iudicet* carminibus inserendum putabam.

v. 21. *iusta minonida* Gron. *iuxta minoia* Rheg. *minonia* F. M. *sellam* Gron. *sella, et* Puc. (*sella* Rheg.) copulam *et*, quam addunt, non aegre desidero. — v. 22. *in toto* F. M. *in tēto* Gron. *intento* Rheg. — v. 23. cessent v. c. *Perreius*. melius videtur dici, quam *taceant*, ut in quo otium contineatur. v. 24. *tantaleus* F. M., non Gron. Ex Vossiani quarti errore *Tantaliae* levissima immutatione *Tantalide* feliciter restituit Passovius in indice lectionum Vratislav. an. MDCCCXXIII, multisque exemplis patronyma primitivorum vicem subire, et unde id factum videatur et suis et Grammaticorum argumentis exposuit. Repetita disquisitio est in Miscellis Seebodii. Ego recipere non dubitavi, formam tamen sumsi Latinam *Tantalidae* non repugnante ibidem auctore Passovio.

v. 26. *lassa* Gron. *lapsa* Rheg. — v. 27. *loquor* Gron. (ita Rheg.) *loquar* Puc. *fallo* Gron. spatio relicto in fine vocabuli et Puc. (*fallor* Rheg.) — v. 29. *proavita* Gron. *peravita* Rheg. *trophea decori* Gron. *decora tropheis* Puc. (*decorat trophei* Rheg.) trophaea decori v. c. *Perreius.* — v. 30. *Era* Gron. *Aera* Rheg. vera v. c. versa . . . *Perreius.* c. v. habet vera, sed lego versa. eversa, inquit, regna et Carthaginis et Numantiae testantur avorum decora meorum, qui inde cognomina traxerunt Africani et Numantini *Puccius. Afra* a Scaligero sunt. — v. 31. Altera turba i. e. materni avi maternam gentem aequam paternae reddunt. admodum dura oratio. In mentem veniebat: *Altera* materno se *exaequat turba* Libone. — v. 34. *acceptas* Gron. *aspersas* Puc. irrorabatur enim nova nupta *Puccius* iunxit et aspersas *Perreius.* Quum neuter ad codicem provocet, Groninganum sequi tutius visum est. De hoc participio saepe monitum.

v. 35. *sic* Gron. *non* Puc. (*cum* Rheg.) Minor faciat, ut *non* praeferamus. — v. 36. *hoc* corrigit Lachmannus *huic*, ab aliis propositum. — v. 37. *Testo* Gron. *verendos* Gron. *colendos* Rheg., et reliqui libri, quod verius dici puto. — v. 39. *Et persen* Omnes. *Te Perseu* Santenius proposuit, quod recepi, ne *Achille* pro vocativo sine exemplo habere cogerer. *simulantem* Gron. Puc. (*stimullantem* Rheg.) *stimulantem* F. M. *achillis* Gron. Rheg. *achilli* alii. — v. 40. *proavus* Gron. Rheg. Achille vocativus ab Achilles, ut ab Ulysses Ulysse. *Puccius.* reliqui codices plerique *proavo* habent. Mirum, si Propertius scripsisset: *Quique tuas proavus fregit, Achille, domos.*

v. 41. *nec* Omnes tuentur. — v. 42. *v̄ros* Schradero teste Gron. *n̄ros* E. v. Driel. — v. 44. *erat et* Gron. *et eram* Puc. (*et erat* Rheg.) eram v. c. *Perreius.* — v. 48. *Ne possem* Gron. Puc. (*Nec possis* Rheg.) *possis* F. M. — v. 50. f. tristior *Puccius. At prior ascensu* F. M. *Turp ior ascensu* Gron. p fortasse m. rec., post p deleta fortasse littera *Schraderus. Turpior assensu* Rheg. tristior assensu, ex bona conscientia mea haud severam nec tristiorem quam par sit causabor *Puccius. assessu* ex Guyeti codicibus est. Non negligendum tamen quod e codice Lupacchini notatur: *a sensu.*

v. 51. *Ve tu* Gron. *cybellē* Gron. *cybellem* Puc. — v. 53. *cōmissos* uterque. — v. 59. *nata*] ex eadem matre non ex eodem patre. aut hoc scribente poeta nondum erant propalata adulteria Iuliae, et tunc exponetur increpat dolenter et cum suspiriorum crepitu profert; aut legendum, Ille suam natam indignam vixisse sororem (immo sorore) increpat, et tunc verbum increpat in propria erit censurae nota *Puccius.* Ille

suam natam indignam vixisse sorore v. c. *Perreius*. — v. 64. *lumina vestra* Gron. — v. 66. *Consule quo facto*, quia *tempore* omnem iustam explicationem respuat, Lachmannus mutat in: *Consul quo factus tempore*; ut a *fact⁹ facto*, post *consule* additum sit. Rationes probo; levior fortasse medicina videbitur: *infecto tempore rapta soror*. i. e. nondum perfecto, immaturo, ut supra: *Aut prius infectó deposcat praemia cursu*. — v. 67. *specimen* Gron. Puc. (*speciem* Rheg.) *nata* Gron. *nacta* Rheg. utrumque probum.

v. 69. *cimba* Gron. Rheg. — v. 70. *aucturis* Gron. Puc. (*uncturis* Rheg.) tot malis aucturis mea fata, quod insequi poterant mala, quae praeverti moriens, quae multa habet hominum vita. Haud ullis stant mea fata malis. stant pro constant, ut quanto regnis nox stetit una tuis. decedo, inquit, lubens integra felicitate et mea et meorum *Puccius*. Solvit venturis. alr solvitur haud ullis stant mea fata malis *Perreius*. Mire locutus est Propertius, si modo ita locutus est, expressurus illud, quod a Callimacho proferunt: *Μεῖον γὰρ ὄντως Τρώϊλος γ' ἐδάκρυσεν Η'' Πρίαμος*, ut Davisius legit ad Cic. Tusc. I, 39. Lachmannus proposuit: *aucturis tot mea fata meis*.

v. 77. *adiice* Gron. *adice* Neap. Rheg. *matris* Gron. Puc. *mater* Neap. (Rheg.) — v. 79. *si quis* Neap. *erit* F. M. Neap. *eris* Gron. Rheg. — v. 84. *responsurum* F. M. *iace* Gron. Puc. *tace* F. M. Neap. (Rheg.) — v. 86. *cauta* interpretor, in qua tibi cavisti, quam diligenter, antequam eligeres, spectasti. — v. 89. *collata* Gron. Rheg. *conlata* Neap. — v. 93. *lenire* corrigunt, qui optime corrigunt. — v. 94. *valet ulla vias* Neap. — v. 95. *est* omittit F. M. — v. 97. *Si* F. M. Gron. *Et* Neap. Rheg. *unquam* Gron. *lugubria sumpsi* Gron. Puc. *lugubriga sumptum* Neap. (*lubrica sumptum* Rheg. et *nunquam* bis positum.) *lubricia sumtum* F. M. — v. 102. *equis* F. M. Gron. *aquis* Neap. Rheg. Nicolaus Heinsius *avis* correxit, quod fortasse recipiendum erat. Verisimilius tamen apotheosis equis honoratis describatur, seu adventus in Elysio, quo versus proximi nos vocant: *Moribus et caelum patuit; sim digna merendo*, *Cuius* etc. Sic Iuppiter Herculem *Quadriiugo curru radiantibus intulit astris*. Ovid. Met. IX, 272.